


LATIFUNDIA
ORATORIA
Divorum laudibus, virtutibus, & encomijs
AMPLISSIMA,
Dei Electorum & Cohæredum
PROPRIISSIMA,
Panegyrico calamo
EMENSA,
Et intra metas & terminos Honoris
ILLUSTRIS MAGNIFICI DOMINI
D. VICTORINI
KUCZYNSKI
SUCCAMERARII Terræ Drogicinensis
Mecænatis Gratiosissimi
SITA & SITUATA
Anno Domini
Quô posuit fines terræ, qui præteriri non poterunt

TYPIS
Sacræ Regiæ Majestatis & Reipublicæ, in Collegio *Varsaviensi*
Scholarum Piarum. Anno Dñi 1729.

In AVITUM KUCZYNSCIORUM DECVS.



1.

In Superos *Corvus* librabat penniger alas;
Utq; hæsit, querulus dicere damna cupit:
Quid retinet motum? negat hinc quid in Astra referri?
Quid prohibet Cælis reddere sponte decus.
Siste gradum: gemmas animus dum est ore refundi?
KVCZYNIÆ cernis Numina Magna Domûs.

2.

Ne dicas: *Niger est, hunc tu Romane caveto!*
Alite sub tanto candida Lechus habet.


3.

Carpe viam laudum, præbent *Vestigia* passum,
KVCZYNIÆ Soleæ nobilitata Domûs.
Ut centrum teneas: spondet Tibi sphæra favores:
Principijs, fini, *Crux bona* serta dabit.

Hunc Librum accepi à R.P.D. Hyacintho protunc Cellerarij Varsaviensis pro S. Missis. F. Cherubinus E.C.M.C. mp.



Lechiadum facies, veteri frons digna Senatu;
Sangvine quam proprio Regius ornat Honor.
Summa fides vultum præclara modestia frontem
Complet; quo totum sit probitatis opus.





Ad Jllustrem Magnificum Dominum Succamerariũ Terræ Drogicinensis.

DIvos tandem habere domesticos libeat: quos perenni studio, jam in exstructis Aris sanctiùs, jam in Templis religiosiùs, jam in Asceteriis liberaliùs, jam in Odæis profusiùs demerebaris Mecænas Gratiosissime. *Integrum Tibi Cælum, Beatorũ Patria, præsentissimis gratã se præstare gestiret officiis; nec ullum distrahi pateretur instans, quo à Tui avelleretur consortio. Equidem quod alibi inquilinum discriminat scelus, hic augusta virtus, specioso dignissima comitatu excipit hospitaliter. Nec hic se non Comprehensores reputabunt Divi, dũ Tibi*

uniũtur Viatori; Empireũ etiã in Terris expertur: quod Numen non omnipotenter tantùm: verùm communicatis in attributis occupat & inhabitat ſpecialiter. Aliàs ſolitariã Regis Regũ hic quispiã non ambigat Majeſtatem: cui pares ſupernis aſſiſtunt Virtutes, heroicæ ſuffulciunt Poteſtates; velle & placitum Domini, non intellectualiter tantummodò, ſed pleniſſimo Chriſtiani Officij executuræ miniſterio. Curia Tua ILLUSTRIS SUCCAMERARIE, *quædam Beatorum Spirituum Hierarchia: in qua Innocentiæ Genij, celebratiſſimi ex paſſionibus Victores & Martyres; altiſſimis perfectionum in prædicatis dogmatici Confeſſores; in omni voluntatis Divinæ executione veloces Angeli ſanctam reſident per operationem. Procùl hinc tumidi in reprobationem acti Luciferi: ubi omnibus abſoluta numeris regnat demiſſio; altiſſima humilitas dominatur; procùl rebelles animæ: ubì omnia in triumpho, & conſũmatiſſimâ victoriã ſui, litantur Cælis & ſacrantur. Æquitas libram tenet & Juſtitia: quæ nunquam à recto deflexit; pias Numini acerrhas accen-*

dit

dit Religio: & perfectissimâ imitatione bonorum, Vestalium exsuperans abolet ritus & extinguit; arcana misteriorum Dei orthodoxa reverentissimè speculatur Fides: nec unquã vitiosâ caligine cæcutit, Lumen secuta Increatum; Charitatis Theologicæ præsentia indeffessis probatur officijs & exercitijs, in omnium vota & desideria, expeditissima. His è virtutum fontibus, quæ demum Gratiarũ dimanant flumina! mare quodpiam exemplo Apocalyptico in sua puritate ante Thronũ Dei, omnibus vitiosæ naturæ abactis & exclusis monstrorum speciebus, formatura, imitatura; in quo ad Coronam justitiæ repositam *uniones piscantur Inclitissimi hujus Erithri Argonautæ. Jã á capite tanta recensemus decora: ut ad medullam pertingere liceat bonitatis. Talem se hic credidit prudentia: qualem si alibi videre contigit, plùs ultrà communem sortem usurpatum. Nihil in hac venenosi Lechicus notavit Orbis; quod ad draconum & serpentum genimina, quopiam exigente vitio condemnâsset. Palmã tenet Scientia, quæ nunquam in Taxos impegit*

& Cupressos; etenim mortiferum nihil concepisse potuerat: quæ pro ipsa gloriæ desudavit immortalitate. Minimè hæc, secundùm usitatissimam sæculi consvetudinem & praxim, affectuũ universitatem, docilissimum aliàs ijs instantijs depravavit & pervertit cor: utpote quæ non præsentis sæculi seminaria; non ad lauream hujus sapientum temporis, umbratili in facto Candidata. Verùm quid proderit hâc in pagina multas virtutum exprimere species: dùm in proprio venustæ non recensentur Individuo; etenim singulariùs nitent, certo subjecto definitæ. Conceptus mentis foret ea probitas, nec facilè cuiquam cognoscibilis: quæ à parte rei non esset demonstrabilis. Parum, & exiguum gloriæ, sub hac abstractione constitutæ referrent Virtutes; quæ nec esse, nec existere haberent proprium, ante opus intellectûs: quia nullum exantlâssent negotium meritorium. Naturâ suâ in fætum propendet terra: lolijs interim lilia, rosis admiscet spinas, aut integro pigrescit autumno non culta, inarata. Adamantes & gẽmæ, suo quoq; in cortice non ignobiles: pretium

ta-

tamen ut quodpiam referant, mytras, annulos occupent artifice ſcalpro dedolati. Hinc ſi quãpiam virtutibus non accidentali encomio incumbit conſummare gloriam: in Te earum Subſtantiam, neceſſe ſtylum dirigere & reflectere. Venuſtiùs ſe hic hæ ipſæ explicant: quã in ſæculi ſpeculis formarũ ſpecies idæatæ. Pari aggregantur syllabo: quàm in Empyreo ſtellata Siderũ caſtra diſponuntur. Sic in Victorini nomine nulla earũ non palmaris: quia nulla non heroica; nulla lectiſſimis, meritorũ copijs non dives, non opulenta. Mendacia plerisq; Nomina, dũ Auguſtos inauthorant, nanos efficiũt; dũ Maximos in appellativis declarant, ægrè à pumila mediaſtinorũ vindicant regione. Nomen Tuũ ILLUSTRIS SUCCAMERARIE *à Superis certâ cognitione præviſum & proviſum; à natura probatum, declaratum virtutibus, meritis cultum, trabeatum. Nulla huic informi facto diſcrepans actio, quia nulla Tanto Nomini non conformiſſima. Ornant hæ & nomen & facta comptiſſimâ ſui præſentiâ; dum magni nominis umbrâ non deterrentur, aut faſtuoſo ambitu ad ima non de-*

tor-

torquentur. Alibi illecebrosis captæ nominibus si pœnam lugeant probitates: in Te trophæa erigunt, & suam in triumphis ducunt & conservant Majestatem. A fasciis inquàm eorum Pater, Provisor & Arbiter dici merueras: illasq; non puduit in lacteo Juvene, gravissimũ judicii senium observâsse. Sic Tecum tenerrimè affabiles colludebant virtutes: easdem tractâsti maturiùs, quàm Numa, quàm Cato, quàm Solon, quàm Lycurgus. Offendisti nullam, in verbis melleus, in factis nunquam felleus, ingenio non procax, aspectu non salax, totiq symmetriæ cõpendio gravis, venustus, speciosus. Autumnũ gloriæ formâsti in vere, fructus præcocissimæ æstimationis imitaturus; & in qua pleriq; culmũ herbamq; bonæ spei ad summum explicant: meritorum messilegia reserâsti; exantlatis præluritorum factis, qualem ventura ætas, qualem fastigiatus honor, qualem Patria, qualem avita Domus, cunctarum felicitatum Protoplasten visura erat & susceptura. Adolescebas Liberales inter Artes ut Mercurius; in supremum gradum ingenii Tui talariis evolans; ut Apollo: au-

reo

reo illuſtrior ſole; ut Achilles: quovis Chirone beatior; ut Macedo: ſuo Ariſtotele animoſior; ut Ariſtoteles: ipſo quoq; Platone divinior. Jeciſti ſanctioris inſtitutionis fundamenta Lojolæ in caſtris, in Vavelli Parnaſſo ſanctiſſimè conſummâſti; eâq; Artium & Scientiarum in Univerſitate illam merueras palmam, in qua univerſis acceptiſſimus, ſingulis probatiſſimus, omnibus peragendis negotijs accõmodatiſſimus ſuſpicereris. Plùs Polono debueras Viſtulæ, quàm cæteri exotico Sequanæ; celſiùſq; Carpathiam ad plantam aſſurrexiſti, quam alij in Alpiũ vertice, in Septicollij capite, ipſâ exiſtimatione majores, ſolâ peregrinatione felices, curioſâ Regnorum & Provinciarum contemplatione beati autumantur. Magnam etenim mentem non extraneis debemus ſolibus, ſed propriæ culturæ qualitatum. Redditiva ſibi ſunt: qualẽ è Patriæ finibus tecum tuleris animum, talem domeſtico in nido ſiſtes viatorem. Aquila non mutat originem, quod volet ad ſolem; Corvum Caiſtrij lavent fontes, olorẽ non efficient. Pronæ in bonum voluntatis eſt, arduos exantlare cona-

 tus:

tus: quam si maturam nativo in cælo habuerit Phanes, satìs orbem utrumq; illustrabit. Sic Patrijs invalueras Artibus: ut par orbi ferendo Atlas, fulminandis reorum demeritis Pericles, par catenandis animorum sectis Torquatus Hercules dicereris. Facundia, quæ olim Tullio proprijssima; sensuum majestas, quæ Roscio finitima; rationum pondus, quod Cordubensi Philosopho æquivaleat. Felicior fuisset Roma: si Te pro domo sua habuisset Oratorem; Longè fortunatior claruisset Nero: si Tui regiminis vestigia sequi potuisset; à quo vel Orbis integer formari exoptâsset. Disertum Te, quoties vidit & audivit Polonia: pacis frondescere oleas, componi odia, armorum sopiri tumultum experiebamur. Patheticus evidentissimis Patriæ in malis audiri malueras Orator, quàm phaleratus: saniùsq; duxeras & sanctiùs non nullorum læsisse & offendisse aures, quàm in melleo apparatu verborum, cor & viscera Matris Lechiæ sauciâsse. Sic Te præcipuo beata Nato Agrippina Patria: in quam nec acumen, nec aciē ingenij, malignior nunquam

matri-

matricida incitâsti. Aureă ità æstimâsti Libertatem: ut non mercenarius; Leges illibatè fovisti: ut non corruptor; observâsti Majestatem: ut veteris instituti exactissimus observator; honorâsti Reges: ut nullius Prætensor præmÿ, nullarum gratiarum auceps & negotiator. Merissima Polonæ aquilæ soboles: qui hujusmodi illicio & visco, nunquă inhæsisti. Multorum in his oblectatio non exigui momenti conciliat damna, dum se in reprobationem præcipitat; Patriam agit in perditionem. Hinc quoties Terrestris Nuntius publica tractâsti negotia, Angelus magni consilÿ, & internæ Princeps pacis audiebas; qui hujus ministerÿ felicitatem, non pro genÿ temeritate, non pro desideriorum voluptate exequebaris. Legati naturam nonminùs librabas ingenio, concipiebas mente, quàm exactissimâ exprimebas observantiâ; & ex allegatis, servatisq; ad ungvem jurium & statutorum codicibus dignosci & intelligi cupiebas: non in lectione munerum dici activissimus & remonstrari. Frequens in hoc obsequio Patriæ, verùm quò felicitatis publicæ evocabat au-

 spici-

ſpicium, non boni privati aucupium. Infeſtis occurrere rebus ſatagebas: ſed viam nunquam triveras præmiorum gazis ſerenatam. Aureus Padus hic, dum Syrenes vehit gratias: innumeros tantæ claſſis navarchos duxit in naufragium; quaſi non conſultiùs pro aureâ negotiari Libertate, non in aureis Philippi aſellis, ferreas cõpedes demereri. Ad hoc proinde officium nec temerarius notari cupis: ut nec ambitus lingvarum ſupplicia, nec remiſſus meritorum gradus æſtrum ſentiat pigreſcentium. Sæculorum opus dum aggrederis, freqvens eſſe Dictator refugis; vel quia perpetuus legũ Cuſtos, vel nullus temporis Aſſecla, noxiiq́ librator momenti geſtias declarari. Palmæ pubeſcunt longiùs, nec uiles fructus referunt; decennio parturit elephas, nec deridendum generat murem. Humeros ſalutari non ſubtrahis operi; verùm onera ut evites conſcientiæ, hanc Sparthbam quandoq́ declinas; ut prodigos inter filios annumerandus nunquam, dilapidantium bona Patriæ pœnis plectereris. Curiã dũ ſacræ Themidis reſeram9, æquitatis Tuæ legimus ſymbola, cui nul-

lam

lam demeriti lineam incauta tanti fastigij inussit Possessio & occupatio. Tonantes Semideos magnanimitatis placâsti supercilio; liberales Joves nec sinu, nec gremio excepisti; rarissimo prorsùs inter mortales exemplo illecebrosa crepundia aversatus. Plùs lachrymas ponderâsti mæstorum, quas injurius extorsit livor: quam gĕmeam Hydaspis procellam cujuspiam salebrosi Neptuni alveo erogatam. Danaen Polonus Orbis in hoc æquitatis sacrario non vidit Iustitiam: pro cujus integritate vigilantior ad hanc speculam Acrisius desudâsti. Corruptores olores tanto Arbitro & Custode secura hæc repressit Læda: ne iniquo quopiam partu publicæ felicitatis cunas in augustali legum Patriarum & jurium funestâsset. Merebaris universorum æstimationem & respectum, sed hâc ipsâ gloriæ viâ, quâ in Te Cæli favores duxisti thaumaturgos. Alios in hoc stadio non trivisti calles, qui à centro retraherent probitatis, gressumq; ad lubrica & devia incitarent. Quocunq; formâsti passus, fastigium tenuisti: quia vilissimi & abjecti animi, quibus adeò fœdè claudicat vulgus;

gus media non prehendisti. In Palatinatu Podlachiæ summum decus: quia Totius Sarmatiæ intimum delicium; primam in hoc curulim occupas, dignus in primo Regni collocari ministerio; quem Principes sanè dotes faciunt accommodatissimum. Princeps Nobilitatis non plùs officij Tui exigente naturâ probaris, quàm nobilissimarum qualitatum Tuarum comitatu; in ijsq; tantùm antecellis cæteris, quantùm aurora stellis, sol astris, Empyreum Cælis. Publicus Terræ hujus congressus, á Te regitur, ut á motrice Intelligentia astrorum sphæræ; ut ab Antesignano & Duce castrorũ phalanges & copiæ; ut à Coronatis Dynastarũ Genijs Imperia, Regna, Provinciæ; Teq; votorum suorum metam & centrum, quivis posuit in objectum: nihilq; Reipublicæ sanctiùs & saniùs decernendum reputant: quàm Tuo cum sensu & judicio conformari; in quo securitatem Libertas, præsidium Leges, Religio arã, authoritatem Honor fixit, erexit, locavit, fundavit. Regni statutorum Ilias dici potuisses: ad quem veluti ad regulam agendi activissima

omni-

omnium consilia reflectuntur. Habes ab omnibus impensiùs addictam sibi fidem: quàm hactenus habuerunt pauci; summam tenes æstimationem: quàm multi præterlabentibus annis amiserunt; lucraris unionem amorum: quorum detrimenta in aucupio plurimi patiuntur. Nec alia omnium mereris charismata, quorum desiderijs correspondes rarissimâ placendi felicitate. Olim SUBDAPIFER MIELNICENSIS *eam tibi nutrivisti gloriam, quæ sæculis vivat imortaliter; cunctos Tuâ delibutos reddisti svavitate, ut ejusdem perenne in animis reliqueris desiderium. Nemini non acceptus, nemini non gratus, nemini non adgustum & placitum, maxima Fortæ portio reputabaris. Ab his instruendis animorum bellarijs, ad libram & stateram Divina Te assumpsit Themis, minimè dubia in his Te quoq; cunctorum demulsurum mentes: in quibus promptissimè offendebantur. Sic Iudicis functus trabeâ, trabales cæterorum exterminâsti errores; juris gladio, gladij jure non aliter usus: nisi ut metum crimina, timorem flagitia, supplicium scelera*

persen-

*perſentiſcerent. Et factum: ut Virtuti, ho-
neſtati locum cederent, quæ meritum cauſæ
ſub tanto Arbitro deſperabant. Vigebat inter
Terrigenas incolliſa pax; non tumultuabatur
confuſa ambientium temeritas; tantùmq́ in hoc
valuiſti miniſterio: ut exilium vitijs, novam
virtutibus coloniam imperâſſes. Fundator ea-
rum dici merueras: dum à ruina eaſdem erexi-
ſti, pulchrâq́ voluiſti perennare felicitate. Ita
terno Officij Tui in gradu ſtetiſti Triarius, pal-
mã ubiq́ referens meritorũ, nunquã absq́ comi-
te victoria* VICTORINUS. *Et hæc ſunt glo-
riæ Tuæ attributa, quæ quia non ſolitario in-
cedunt paſſu, germanam* ILLUSTRIS MA-
GNIFICI VEXILLIFERI TERRÆ BIEL-
SCENSIS *famã in catadromũ evocavit. Itum
ad ſumma pari gradu, neuter altero melior,
quia uterq́ optimus, uterq́ ſupra boni parita-
tem elevatus. Idem vobis negotium ſupremos
Patriæ demereri favores; coronandis obſeqvijs
beare Cives, Avitum Nomen altiſſimis factis
ultrà polos, ultrà Polonæ æſtimationis gradus
elevare. Drogicienſem Terram, Ille Bielſcen-*

ſem

ſem ità Veſtris obæràſtis claregeſtis; ut ſi fas eſſet: utraq; Harum immenſos Veſtri labores, primis Regni præmiaretur muneribus, officijs grataretur. DAPIFERATVM TERRÆ plurimis tractavit annis, ſæculorum memoriæ commendavit: idq; tandem perfecit, ut ad meritorum ſuorum obſonia, non ingentes tantummodò Majorum ſuorum oblectavit Genios, verùm immortales Cælites reddidit quoq; delibutos. Sic ſe is frugalem omnibus præſtitit commodis: quæ in ſpem firmam Lecheo orbi enutrivit. In comitijs Regni indefeſſus Cyneas, in Tribunalibus continuus Legislator, in officijs Patriæ perpetuus Conſul & Dictator. Omnis ejus actio pro gloria militat, pulcherrima mentis operatio in bonum collimat publicæ felicitatis. Patriã ſibi rariore exemplo adoptavit in filiam: eandem præſtantiſſimis factis, omni virtutum pretio ditans ac dotans, fœdamq; procorum arcens & cohibens licentiam. Si in Patrem Patriæ crevisſet citiùs: eô hæc incederet paſſu, qui ab

 omni

omni alienus foret offendiculo & periculo. Labarum gloriæ MERITISSIMO SIGNIFERO plenæ virtutum obtulerunt Legiones; ut in omnium evincerent æstimatione, hìc se semper invictissimas notari Tomyres, indomitas perennare Vendas, Augustas Cornelias triumphare. Castra sibi tanto sub Duce acceptissima palmaribus declarant signis; laudatissimam in securitate stationem explicatis in sericis perenni describunt charactere. Sic Æstimatissimo Poloniæ Equiti Martino mille nixa vestigijs deservit gloria! & summis intenta vijs ad supremum usq; comitatur. Prædicata vobis sanè identica JLLUSTRES FRATRES: quivis par imitari Phosphorum, formare Hesperum; id est Orientem & Occidentem Orbi luminosis factis serenare. Nullus Vestrûm non Castor, nullus non Pollux, tùm in mutuo amorum certamine, tùm in intima dilectione Patriæ celeberrimi. Auditis correlativo respectu laudatissimi: Ille in adversis Fortis, Hic in sinistris Magnanimus; Ille inter

pro-

prospera primus, Hic inter fortunata secundissimus; Ille in æquitate justus, Hic in realitate Divinus; nullumq; penitùs humanæ felicitatis videre fas erit decus, quod Vobis quasi ejusdem substantiæ in gloria, à priori non competat, non conveniat. Pietati cor, Religioni Caput, DEO omnia devovistis; Patriæ animum, libertati vires, indemnitati legum ingenium & sensum uniformi impendio detulistis. Laudatissimis è factis sero noscendi Nepoti KUCZYNII; è magno rerum agendarum conceptu Germani Fratres prædicandi. Hoc est vinculum, Vestriq; respectûs affinitas: in centrum gloriæ paribus studijs collimare. Prædecessorum idæa facti, venturorum regula & amussis; illis rarissimo comparandi exemplo, istis indefesso studio imitandi. Non pallet quopiam in vobis corruptus factô Regius sanguis: qui pari ad gloriã in venis bullit & fervet commeatu; & ad Serenissimum SOBIESCIORUM Ianinam, *veluti ad Persei umbonem & parmã Domûs Ve-*

stræ immortalitas non extingvitur. Gentilitius Ales vester Sarmaticæ viam aquilæ prehendit: qui Poloniarum affinis soli, hæreditario pro annulo, sphæram librabat coronariam. Idem sanè KRASINIAS incolit ædes, & omnem eorum gloriam vobis efficit domesticam, intimoq; nexu signat colligatam. Iam in avito CHĄDZINSCIORUM Ariete *Palatinas explicuit Purpuras, in ijsq; tot aurei velleris Equites* Jllustris Consors Tua *in lana non molles nec lenes animas KUCZINSCIORUM fortitudini associando. Sequebantur Hanc virtutum omnium Pandoram, Magnarum Familiarum Numina, & Domûs vestræ amplitudinem in Pantheon consecrârunt. Gemmam hanc sui appretiabant adamantes, ut gloriæ Vestræ vertici coronam componerent, æternitate integrâ appretiandam. Hic velut in Capitolio Romano OSSOLINIÆ triumphant* Asciæ; *Avita, purpurarum pervenusta rosis, in NIEMIERIS vernant Lilia, & jam svavitate, jam candore meriti Domum vestrã*

in

in novam destinarunt Florentiam. Importârunt ad gloriæ pretium immortalia decora KRASSOWSCII, GODLEWSCII, PODOSCII, BUTLERII, GRZYBOWSCII, CIECIERSCII, SIENIENSCII, OLĘCCII, KUSZELII, KROSNOWSCII, SWINOŁĘSCII, JŁOWSCII, MŁOCCII, MĄCZYNSCII, KARSCII, JEZEWSCII, RZEWUSCII, WYSOCCII, KOSSII, *& plurima hoc in fædere devincta Nomina; suisq; in principiis tot & tanta claregestorum derivativè impenderunt commoda, ut ad Divinæ paritatem dotis crescere pulchriùs viderentur.* ANGELA *hæc triumphalem* KUCZYNIANO *in cælo instituit & fundavit Hierarchiam, non nonis tantummodò Magnorum Nominum sublimem choris; quæ plausibiliter triumphos accineret & epinicia, beatissimis hac felicitate* KUCZYNSCIORUM *animabus, hâc etiam in Patria, immortalitate quadam, claritate gloriæ donandis. Hùc se* GĄSSOWSCIORUM *invexit*

 honor

honor in Jllustri Vexillifera Bielscensi, & *jam Magni Parentis; vivissimi eâ in Patria Catonis & Consi immortalia transfudit facinora; Tantæq; gloriæ* KUCZYNSCIORUM Domum *ex asse fecit hæredem. Unicissima hoc è fonte dimanans gemma, Patritios omnium in se concentravit splendores, vestroq; intimiùs inserta cordi, posthumæ memoriæ Majorum suorum famam & facta intrinsecavit. Non defecturus hic Honor vester, seris usq; commendabitur ætatibus, in Dignissimis Nepotibus cui non superstes sæculo, cui non par subsellio, meritorum coronæ non conformis. Magnam Vestram gloriam vel hinc mensurare libeat: ut quam in Geminis Fratribus optima concentravit natura; in inclyta divisam propagine ingenij terminis sit difficile comprehendere. Huic summa prædicata virtutum* Jllustris Succamerarie *transfudisti ut Pater, omnia benemeritorum decora* Jllustris Vexillifer *communicavit ut Patruus Beneficentissimus. Primum* JOANNEM *id est Do-*

mûs

mûs Tantæ Gratiam vestri voluit habere intentio: in quo omne Sarmatico Orbi impenderet obsequij beneficium. Exteris Regnis visus, notus, æstimatus: nostro nequaquam non amabilis, non acceptabilis. Ad Galliarum Lilia ità effloruit venustus, ut præcipuarum qualitatum in se perpetuam explicet & præsentet Hyberniam. Pocillatoris in Terra Mielnicensi *functus munere, omnem sic tractat svaviter Fortunam, ut supremos quoq; Ioves, non homines tantùm reddat contentos, cælis æquè ac terris dignus, activissimus celebrari Ganymedes. Succedit his Paterni cordis oblectamentis* Vir sui Nominis NICOLAUS, *sed non Myrhensis, id est nullius acrimoniæ notam referens,* CAPITANEUS IADOVIENSIS; *in quo quidquid videre placet, comptissimè natura efformavit. Loricatæ Commilito Legionis armis se ferreum, negotijs Patriæ impendit aureum; in quo hæc nihil molle, illa nihil vile, primæ æstimationis librâ appretiabunt.* Nec *hoc non palmare istius factum: quod postquam*

Gradi-

Gradivi dexterè tractâsset signa, labarū SZUY-SCIANÆ gloriæ in Jllustri Vexilliferide BRESTENSI, *inter sponsalitij amoris trophæa, auxiliares in copias Nomini Suo devinxit, demeruit, obligavit. Religiosam Ascesim ingredior, & omnium perfectionum coronam in* STEPHANO *contendo venerari. Medius hic Fratrum, communem illam & tritissimam evicit paræmiam: dum ipsissima virtus & dici meretur, & prædicari; qui tandem ut illucì meretur, & prædicari; qui tandem ut illustriùs universo splendesceret,* Lojolanis IGNATII Sideribus *voluit annumerari. Vultus Ejus quasi Angeli, gratiarum lumine illustratus; Ingenij operatio; primæ usq; Intelligentiæ conformissima; amoris in Numen teneritudo, Seraphico non dispar Cætui; immobile ad quosvis assultus pectus Indigetis sui victorias pari, quanquam non simili Heroicitatis exemplo, declarat in dies vocaliùs & manifestat. Eruditionis Universitas, scientiæ quà Divinæ, quà Humanæ clarissimum Emporium; in quo, quidquid alibi distinctis celebratur*

classi-

classibus: veluti in Academia quâdam prædicatur, continetur. Inclytissimæ Societatis Filius, *amores Tantæ Matris supremos demeruit, pulcherrimarum virtutum raritate; quomodò hic ipse Christi Pugil & Heros, Paterni non devinciat Amoris præsidia? qui tot Tantorumq; Religiosissimorum Patrum, sedem centrumq; cordium occupavit. In Liliati* CASIMIRI *encomia timet penna fundere sæpiam; ne umbram quampiam virtutum imprimat & inurat candori. Aspectu, vultu Patruum, Genitorem animo, utrumq; vitâ moribus imitatus expressit. Grave illi & solidum verborum pondus; gemmeum rationis pretiũ; quod ad Polonæ integritatis præmiũ impendi, erogari desiderabatur. Mira hujus inter Optimates æstimatio, quam Augusta animi conciliat Majestas; illas de Hoc figuras format, quod Avos, Atavosq; decores inter Senatorias Purpuras, non erubescendè; inter Ministeriorum Regni officia, officiosè; inter Consiliorum adyta, salutariter; inter Mavortis tentoria,*

 palma-

palmariter DEO, *Legi, Regi, & Patriæ impendens operam ſit expreſſurus.* LEONIS *quæ omnes tenet æſtimatio! noſcitur ex ungve, quibus ad* Paternæ Gloriæ *centrum collimabit paſſibus; nihil ipſi non magnanimum: nihil non providum: nihil ad omne opus, non conſummatum. Prætextatus pugil mox dexteritate ſummos, generoſitate Majores adæquabit; pares longo poſt ſe relinquet intervallo. Geminæ hujus Familiæ Charites & Gratiæ* Marianna de KUCZYNSCIJS ZALESSKA Caſtellana Viſnenſis, Surazenſis Capitanea; & BARBARA ex Ijſdem BRZEZINSKA Vexillifera Terræ Nurenſis, *dùm ſeriùs ad Syllabum Majorum ſuorum, memoratæ veniant; veniam non negabunt: quod interrupto Claræ Geneſis ordine, in Veſtra excurratur Elogia; Dotum Veſtrarum Summa ultimo expendatur actu & obſequio. Dogmaticè procedere libuit: & quæ prima, in intentione fuerant, ultima, in executione celebrare. Paginam inquam, quæ ſeparatam laudum exigunt,*

gunt, ægrè alienis in ſchedis limitantur. Præcipuus veſtræ probitatis honor, inſtantibus nequiverat truncari inciſis; addenſatis antecedentium nominibus nec confundi nec mutilari. Aliam hæ Auguſtæ & Corneliæ Colligatarum Domuum dùm inſtruunt aciem; ijsdem claudi & circumſcribi terminis non debuerant. Venit cum ſuo JOANNE *veluti cum Auguſto Livia, cum Theodoſio Eudoxia, Serena cum Stilicone, Maria cum Honorio, in Nomine par, in facto æqualis* Gratia Marianna; *cuì non affinis laudes concinnat & affundit penna, verùm Claudiani judicium paribus titulis magna ejus imitatur attributa*: Quis venerabilior ſangvis? quæ major origo? Claudia felix, Clelia cum Tanaquil, fortiſq; Camilla, Probina, non tamen audebunt titulis certare Serenæ. *Ijs ſplendet decoribus, quæ ſummas, fortes, magnanimas ornant & declarant viragines.* *Nec ſua* JOANNI *deeſt Majeſtas, quæ itá in Tuum* Jlluſtris Succamerarie *propendet honorem: veluti in ſolem*

lux, in æternitatem tempora, in animam viventem potentiæ, in cor refluxus sangvinis & vitæ regulatur. Explicare decora proprius dissvadet Amor; communis vetat, & inhibet observantia. Parciores sunt semper in suos Gratiæ, & quæ in cæteros uberrimis se effundunt alveis; suis guttatim largiuntur beneficia. Nili sanè imitantur naturam: dùm se Pharijs prodigè communicant arvis, sua vigore privant littora. Naturâ factum: ut stolones magis fæcundent arbores, quàm ramos ejusdem generis & speciei. Proprij exarescunt palmites, alieni cortices prosperantur. Hanc sequi parsimoniam, & dignam odio justitiam imitari distributivam non est animus: Totum me Tuo honori & cultui JLLUSTRISSIME CASTELLANE *impendere vellem; ingenijq; habilitate pro Tui elogijs non partialiter desudare; nisi probè sciverim, etiam laudes ut plurimum beneficij, ità multum malignantis naturæ importare. Alienis Nominibus benè his providetur ad pretium: suis ad vituperium,*

um, ad vilipensionem. Hinc dotibus Tuis nihil de proprio erogare audeo, ne intimi fæcunditas affectûs vitietur. Aliorum formatas conceptu, inscriptas calamo, hanc in paginam transferre studerem Panegyres; nisi de alieno turpiùs argui expavescerem. Unum communi declaratum charactere, recognitum æstimatione in Te, & de Te assumo principium: omnia quanquam non speciatim decora, generali encomio veneraturus: In Te Majorum vivit successio laudum; in Te tota simùl se claudit gloria Patrum; & quodquod decus Orbis habet: depinxit in uno Te CASTELLANO, & sculpsit Fortuna Gradivus. *In Te* ZALESSCIANI Nominis Bajulo *ad* KUCZYNSCIANÆ *augmentum prærogativæ, cum* Dobroslao, *id est: optimæ Famæ Authore, Avitiq; Architecto pretij palmares* Pro-Regum Bohemiæ in Protoparente Domûs Maria de Tenagel (*recensere juvat*) *relatæ cydares, coronato in animo Tuo, veluti in Regni Regumq; ærario perennant absq; crimine*

læsæ Majestatis; Principes vernant Purpuræ in WISNIOWIECCIJS, RADZIVILIJS, KLECENSIBUS, CZETWERTENSCIJS, KRAKAONIBUS *derivatæ; summæ nitent Trabeæ, jã ex Proavia Tua* JABŁONOVIORUM, LESZCZINSCIORUM, KRASINSCIORUM: *jam ex Avia,* WYBRANOVIORUM, SOBOLEWSCIORUM, SKULSCIORUM, *jam è Genitrice Tua* WILCZEWSCIORUM, KORYCCIORUM, HOSIORUM, KUROPATNICCIORUM, CIECISZEWSCIORUM, LEWICCIORUM, NIEMIERARUM, DZIAŁYNSCIORUM, ŁUBINSCIORUM, CZAPSCIORUM, GRAJEWSCIORUM, OPACCIORUM, BIAŁOBOCCIORUM, BRZOZOWSCIORUM, SARNECCIORUM, SWIDERSCIORUM, ZGIERSCIORUM, SUCHODOLSCIORUM; *Quorum Majorũ Nepos, Aboriginum Sangvis, ad consummationem memoriæ superes gloriosus in merito & obsequio Patriæ, pari utinam cultu immorta-*

lita-

litati celebrandus. Intrat tandem Patrij Honoris atria, Fortunatiſſima BARBARA *ſummis* è Brzezienſcijs *revincta decoribus & faventiſſimo Tanta Hoſpes, non utiq; barbari cujuſpiam Dioſcori excipitur ſinu; Comptiſſima hæc Danae cum ſuo Statore Iove, quia* STANISLAO Brzezienſcio Vexillifero Terræ Nurenſis, *Viro in Regijs acceptiſſimo, in congreſſu Principum notiſſimo, in quovis ordine Statuum æſtimatiſſimo, in comitijs laudatiſſimo, in conſilijs deſideratiſſimo, in dubijs magnanimo, in ſiniſtris animoſiſſimo, in meritis activiſſimo, in humanitate civiliſſimo, ſuum votis coronant Acriſium; & in expectatiſſimis ſucceſſoribus perpetua vovent Regna & Imperia; in* Accipitrinorum *Domûs Authoribus immortalitatem honoris, perennitatem Nominis apprecantur. Hic ſe pleno agmine explicant* Iaſtrzębeccij in Archi-Præſuleis Purpuris Celſiſſimi; in Poſnanienſibus, Plocenſibus, Vratislavienſibus Mytris Reverendiſſimi; in Łancicienſibus, Cracovienſi-

viensibus, Sandomiriensibus trabeis Palati-
ni; in Vilnensibus, Małogostensibus, Gne-
snensibus, Curulibus CASTELLANI Jllu-
strissimi; *quos mutatis posthac Nominibus*,
jam in RYTWIANSCIJS, *jam*, *in* ZBORO-
WSCIJS, *in Domum Tuam, velut ad Dodo-
næ confluendo sylvam, originem auxesimq;
gloriæ importârunt. Hic dignum Infulis Ca-
put in* ZIELINSCIJS, Caput *suis venustum
Purpuris, verbum pandit mentis, & simul
cum Domo, & pro Domo sua intimè fædera-
ta* KUCZYNSCIJS, *ad Superos perorat in-
defessè. Aderunt plenis votis* CZACCIJ, RA-
DZYMINSCIJ, OSSOLINIJ, DUNINIJ,
KARWICCIJ, DENHOFFIJ, OBORSCIJ,
CIESZKOWSCIJ, WESSELIJ, ZABIC-
CIJ, PARISSIJ, NOWOSIELSCIJ,
GRZEBSCIJ, & *ingentem Nominum suo-
rum æstimationem, ad* KUCZYNIÆ *ampli-
tudinem gloriæ adstipulant. Quare hùc se a-
mat & summa Numinis colligere Majestas,
ubi tot trabeis nitet* Inclyta Domus; *hùc se*

Divo-

Divorum concentrat Senatus, ubi magni Consilij Angeli perennant, perennabuntq́. Iam proinde ad manum habebis Deum, quem in corde Jllustris Succamerarie *perenniter conservâsti. Diverso titulo Magnificentissimus in hac pagina ad Te divertit & festinat Deus; idem tamen in natura bonitatis suæ, effectus plenissimarum Gratiarum in Domū Tuam importabit. Iam* Sapientia Æterna KUCZYNSCIANO Nomini *perenniter cogitabit bona; & in Verbo mentis omnia producet efficacissimè. Iam consiliorum Author, meliorum Propagator charismatum* Spiritus Divinissimus *specialissima communicabit munera;* Mystica hæc Columba Avitum Corvum Tuum *ad innubis felicitatis* Candiam, *ad summorum honorum* Albaniam, *ad fortunatissimam* Arabiam *prodromo favore manuducet. Influit* Mare gratiarum Maria *Oratorijs inducta fluminibus, & ad Tui Honoris directa portum; & Dives in benedictionibus, Ærythra, Indum, Pactolum & Padum* KUCZYNSCI-

ORUM *ad usum & officia liberalissimis donorum impendijs imitabitur. Candescet ater colore Ales Vester, huic* Thaumaturgo *finitimus* Fonti, *palmasq; referet supremæ tranquillitatis ad Arcam Domûs Vestræ semper obsequio fidelissimus. Huc* Aquinaticus *festinat* Sol, *vel ut omnia Tibi clarescant in Luce, vel ut meridiem gloriæ in Tropico honoris & æstimationis Vestræ pleniùs reaccendat.* Conviva Æternæ Sapientiæ, *in Domo Tua gestit convivari, ut è tanta præsentia, veluti in diversorio & tugurio* Piasti *ad æstimatissimam Geminorũ Cæli Accolarum visitationem, Fortuna & Corona Lechiæ pari obligationis tenore diutissimè hospitetur; Beatissimus olim in via, nunc in* Patria *Comprehensor, suæ Beatitudinis impendit qualitates, ut* Claritatem *gloriæ,* Agilitatem *votorum*, Penetrabilitatem *arduorum,* Impassibilitatem *ad fatorum tela,* Æternitatem *inter vitæ hujus extrema, experiamini. Amat & cupit hic audiri* Vox Clamantis Joannes à Cruce, Innovati per

Gra-

Gratiam Carmeli Protoplaſtes, *adſcitoq́ in comitatum* Joanne Calebyta, *omnem Fortunam, faſces, Tibi ad mentem & placitum nituntur convocare. Liberalem ſe hic impendet & præſtabit* Nicolaus, *& in Domo Veſtra Innocentiæ Seminarium, bonæ Famæ Coloniam, Virtutum Collegium, perenni ditabit, ac dotabit patrocinio. Aram perfectiſſimæ Sanctitatis* Stanislaus *Noſter, in Tua conſecrabit Curia, in qua pro vobis indefeſſus manebit offerens & oblatio; Patritiâ* Sczepanovius Cruce *cunctas in Acheronta aget malignitates.* Alexandrina Iudith Catharina *palmare infert caput, ut ex hoc,* Caput & Cor Regni *audiaris; proviſoq́ ſalutariter conſilio, ſingulis occurras non improvidè adverſitatibus.* Patrona Primæ Cauſæ *Tuæ gloriæ fundabit Actoratum;* Univerſæ Chriſtianitatis Fortuna, *plenos Tibi concentrabit favores;* Fortiſſima Amazon *grande malorum compeſcet ſatellitiũ. Hùc* Nicomedienſis Victima & mancipium *appellat* Barbara, *Patris execrata Tribunal,*

favorabilem Tui exposcit sententiam; ut Tuis excepta laribus, ad supremos Penates Eucharisticis Rotis *post longum & diuturnū vitæ & gloriæ stadium, lætissima inter celeusmata introducat. Summam in omnibus experieris abundantiam, Cui rem familiarem disponet & aget* Iosephus DEI Ecclesiæ Oeconomus; *adjungit se simili adjutorio, & hanc festinat in ordinationem bonorum,* Pauper *olim, nunc* Dives in Benedictionibus JOSEPHUS Calasantius Scholarum Piarum Institutor; *& honoris & gloriæ suæ in Domo Tua fundans securitatem, securissimos Tibi in vita, luctâq; fatorum successus deprecabitur. Et hæc est* Jllustris Succamerarie *obsequÿ mei intentio: Divorum Te præmiari Coronâ, ut eam Tanto consortio hæredites felicitatem, quam nec metuere Mortalis, nec amittere* Viator, *nec dolere* Comprehensor *possis, in omni temporis circumstantia. Ergo jam Divis non operi cor applica; Eorum in Te propensionem*

æsti-

æstima; mei laboris fructum carpe, argue, condemna; Unum quæso in Tui evincas animo, quod plenissimo Votorum conamine ad nutus, ad cultum propendeam, & maneam.

Jllustris Magnificæ Dominationis
Vestræ Domini Mæcenatis
Gratiosissimi

humillimus, Addictissimus
Servus & Exorator

JOSEPHUS JOANNES à S. STANISLAO Scholarum Piarum

APPROBATIO
Reverendorum Patrum Theologorum.

JNfra ſcripti teſtamur legiſſe nos ex Commiſſione Admodùm Reverendi Patris Noſtri JOANNIS à S. THOMA per Poloniam & Lithvaniam Præpoſiti Provincialis Opus Panegyricum, cui titulus *Latifundia Oratoria* per R.P. Joſephum Joannem à S. Stanislao, Rhetorices Profeſſorem, compoſitum; in quo nihil eorum reperimus, quæ fidei Orthodoxæ, aut Sanctis moribus adverſentur. In quorum fidem ſubſcripſimus in Collegio Noſtro Varſavienſi Scholarum Piarum die 30. Martij Anno D. 1729.

Thomas à SS. Petro & Paulo
Sacræ Theologiæ Profeſſor
mpp.

Felicianus à S. Simone
Sacræ Theologiæ Profeſſor.
mpp.

FACULTAS

Admodũ Reverendi Patris per Poloniam & Lithvan: Præpoſiti Provincialis.

CUm opus lucubrationum Panegyricarũ de Sanctis intitulatum *Latifundia Oratoria*, operâ & ſtudio P. Joſephi Joannis à S. Stanislao Religionis Noſtræ Sacerdotis Profeſſi, ſtudiosè concinnatum Deputati à Nobis Theologi recognoverint, nihilq; Catholicæ Fidei, aut bonis moribus contrarium invenerint; idcircò datâ mihi facultate ab Admodùm Reverendo Patre Noſtro ADOLPHO à S. GEORGIO Præpoſito Generali, ad Majorem DEI Sanctorumq; Venerationem, & Facultatis Oratoriæ emolumentũ, ut Luci publicæ mandari poſſit libens annuo, & facultatẽ impertior. In cujus rei fidẽ has manu meâ & Officij mei Sigillo munitas dedi Varſaviæ die 25. Julij Anno Domini 1729.

IOANNES à S. THOMA
Præpoſitus Provincialis mpp.



Jllis promiſſa imperij & fortunæ ſtabilitas, quibus pro baſi DEUS eſt. *Benedictus à S. JOSEPH Scholarum Piarum.*

Ambiguum eſt, quidquid humano fulcro nititur, hoc ſolidum, quod Divorum. *Idem*

Interit Regnum, Diadema nutat,
Avolat ſceptrum, populus rebellat,
Purpuræ pallent, niſi Sanctitatis
Candor adumbret. *Neotericus.*





PANEGYRICUS
Divinissimo JOANNI à Cruce.

FUnestus tot inter mortes, & funera Patriæ, Annus: quot, & quanta Sarmatiæ portendit omina! quibus humana ratio, tantùm suæ derogari felicitati, quantùm publicis detractum emolumentis intuetur. Trina Virorum Mors, fatum quod acceleret? utinam videri nequeat! quod dicere, violentum. Fortes ceciderunt in Patria! quem sollicitæ nō arietent curæ? Ducibus, & Antesignanis, in plano meriti, hæc ruina accidit! quis in via, Fortunæ offendicula non perhorrescat.

Mærent Præliares Aquilæ! quòd Tantis ſub Signis non ampliùs mereantur; quidni Palladiæ Noctuæ triſte quidpiam occinant. Pullo Trabeæ inatreſcunt peplo! nec Exedræ Oratorum ſpecioſo fulgeant apparatu. Occaſum Tantorum Luminum, Primi ſerenâ fronte nec ferunt, nec tolerant Planetæ! Dictionis Lumina, tempeſtuoſas in Hyadas neceſſe æternùm conquerantur. Veſtigium doloris manet, *Rzewuſciana* à Solea! dùm mortis hæc ceſſit Equitatui; in lubrico Patriæ, Gloriæ Curru derelicto. Sic prima injuria, ultimo quantumvis fato, in Avito Krzywdâ irrogata! immani letho, etiam in Cruces, atrociùs deſæviente. Satisnè jam datum queſtibus! ubi *Denhoffiano* in Capite ingens doloris recrudeſcit vulnus! Grandis hæc cicatrix eſt! quæ Omnium ingenia torquet, læſo nuper feraliter in Capite. Vivum Hoc, Divina quòd ferebat Conſilia, ſaucium, Filiam doloris lachrymam generavit. Facundus olim, pro Lege, Numine, Patria Stator, fæcundam reddidit Eloquentiam, verbis

bis dolore interceptis. Utinam! qui ſoli-
dioris Doctrinæ, conſummatiſſimæ Pruden-
tiæ, ſuo in vertice principia tenuit; immor-
talitatem, dùm Nominis, etiam vitæ pro-
tuliſſet! & inter Patres recenſendus Patriæ,
qui Iupiter credebatur: æternùm adorare-
tur. Saucium inſuper cruentat pectus, o-
lim *Chomentovij*, nunc Parcarum Telum!
quod dùm in acie ſuccubuit Mortis; Uni-
verſis perenne affectuum chaos inſtauravit.
Nutat Regni felicitas: Tantis in Fulcris, &
Baſibus Lechiæ attrita, & edomita. Vici-
num inhiat, & excubat malum: Legum Cu-
ſtodibus occumbentibus. Aſt non ità Viduæ
Ducum Clavæ, in ruinam propendent & Fa-
ta! quibus Supremo à Clavo, ſatìs proviſũ,
ſatìs proſpectum; jacturam Mortalium, Im-
mortalium Præſentiâ, & Gloriâ ſarciente.
Ea inquam eſt, Sanctiſſimi Domini Noſtri,
quà Chriſtianum in Orbem, etiam in Regnũ
Hoc Pietas! ut omnibus occurrat inſtantijs,
pro Animi, pro Cordis Paterni ſollicitudine.
Obviavit nuper, ſatìs providè defecturis Le-

chiæ ; dum profutura abundiùs ſuffecerit. Antevertit ingruentia damna, & incommoda ; dùm Cœli Excubijs communierit. Benedictus venit ! in hanc nobis dilectam Patriã, ſummis ſemper favoribus Præſentiſſimus. Benedictus venit ! nulli unquàm Bono, Altiſſimâ Providentiâ defuturus. Venit paulò antè, Bonis Avibus, *Paulutianâ* in *Aquila* ; ut Sarmatiæ Aliti , ex integro grataretur. Vernum Avitis in Decoribus explicuit *Lilietum*; vel ut inter ſuppullulantes crebriùs Taxos, ſingulis candidiſſimam voviſſet diem: vel ſpecioſiſſimo Archi-Præſulearum Violarum flore, ad hæc diſcrimina, & morticinia rerum, ſuffulciviſſet. Venit Dux Exercituum Domini ! & ut certa Gloriæ indixiſſet Trophæa ; *Camillum* ad Cordium Præſidia, æquè vetuſtiſſimis , ac recentiſſimis in Hoc Regno adoreis Inclytiſſimum deſtinavit. Nec deſunt Divinæ Vires ; ubi humanæ non ſuppetunt. Terrena ubi vacillant, & ſuccumbunt robora; Cæleſtia ſecundiſſimo ſyllabo, ad gloriam creſcunt Adjumenta. Duces

ces Polonæ amiſimus Militiæ! Seraphicæ Hierarchiæ, in *Franciſco Solano*, *Iacobo de Marchia*, *Joanne de Monte Ferrato*, *Iacobo de Paretta* munimur Poteſtatibus. Individuos Libertatis Comites, non ſatis avulſos doluimus! in *Andrea de Comitibus*, Præſidium experimur. Admiranda ſanè Numinis, & Vicariæ Poteſtatis in Nos Dignatio! ut ſuccubitura Tribus in *Staniſlais*, Lechiæ Immortalitas ſtetiſſet pereniùs! ut adverſam nunquàm conſpexiſſet aleam! in Divo *Staniſlao Kostka* fecit providam, fecit perpetuam. Affinis olim per Patrij communionem Solij, in Maria Caſimira *Gonzaga Aloyſius*; pari Divorum gradu Sanctum comitatus Compatriotam, novo gratiarum ſubſidio voluit eſſe Domeſticus, voluit eſſe Inteſtinus. Sic in Seraphicis Angelis, nulli unquàm obnoxiam malo, decrevit futuram Poloniam; in Geminis Jeſu Socijs, huic addicendam Provinciæ deſignavit. Paucas imò exiguas, communi oraculo didicimus benè ordinatas Reſpublicas; harum unius

Beati Cives, dùm Primitivum in hoc Regno Incolatum repetunt; ad invidiam Gentium, ad contabeſcentiam ambitûs, etiam Poloniæ efficient regulariſſimam. Venit tandē noviſſimè BENEDICTUS XIII., antequàm pleniore veniat in Comitatu Cœlitum, (quorum ſyllabo & Apotheóſi, conſummatiſſimâ operâ, Heroicis Canonicè probatum Actibus, ut adjungat *Calaſantium*, ſupplex hoc in Officio profundo votum;) venit BENEDICTUS XIII. extraordinario affectu Gratioſus; declamatiſſimâ per Orbem Sui, & Divorum Beatitudine Sanctiſſimus; in Divo JOANNE à Cruce, Primo, Secundiſſimoq; Tantâ Propagine, Innovati per Gratiam Carmeli Inſtitutore; Venit *Vincentius Maria*, olim dictus; Heroicis Divi coronatis operibus, Totius demùm Carmeli verticem, Veſtris ex meritis, aut in Patre Filios, in Filiis Patrem Coronaturus. Venit *Miles in Bello*: JOANNIS à Cruce Præſentia teſtatur; ut quid inſtanti contendat labore? expendamus. Non tacent Arma, dùm ſilent; ſonant

in

in auribus litui, dùm ludunt improſpera; lædunt ad ſenſum tela, dùm ſub roſa premuntur. Danda ſunt quieti interſtitia; ubi vires, & robur in hoſtes exerenda. Rem optimè agi ſuſpicite, & advertite Auditores! Manus Domini Nobiſcum, dùm in Brachio Forti, Benedicti Nomine ſuffragatur. Cadet ad incitas Hoſtis; URSINO Myſtici Leonis, in Terris vices agente. Arcanum ſuâ evolvam Cortinâ: in JOANNE à Cruce, novum Vaticanâ è Sede prodit Claſſicum; quô ad *Bellum Crucis* incitamur. Terret Nuntium? Pacis Oleis adornabo. *Et Bellum, & Pacem Crucis*, præſentibus imponi Comitijs declarabo; pro Utriuſq; æquitate Styli, acumen & aciem ingenij torquebo; ut difficilia ſuperem? facillimam poſcenti impendite aurem; ut argumentum dictionis evincam? Favoris, & Gratiæ Veſtræ auxilia non denegate.

Æquè Polonum, ac Chriſtianum eſt: pro Aris, & Orthodoxæ Religionis Petra, ad internecionem ſangvinis, impavidâ mente decer-

decertare. Ea in Arma, ſi cæteros neceſſitas devovet? hos offert Libertas; Hanc in coronatam victimã,& Hecatomben, ſi cæteris cadere, & cedere injuria? ijs felicitas; vitâq;dulciùs,pro Ligno Vitæ,& Martẽ appetere,&mortẽ oppetere. Quoſcunq;hâc de Gẽte requiris? Conſtantinos habes; quorũ Voluptas & Gloria, his ſub ſignis palmariter dimicare. Argivas Regnum non exigit Lacænas: ſuis æquè Beatum Matribus, fæcundũ Parentibus; quæ lac in labella, novis ità ſtillant, & fundunt Alcidis: ut ad cruorem, & tabum non palleſcant; Anteacta, conquieturo inter ulnas Nepoti, Magnanimorum monumenta recitant: ut poſteros, ad paria incitent & animent ſtrenuò ſubeunda. Belli cuneos, in cunis celebrant; Puerili arundine, & cannâ, ad chalybem, ad fortia exercendi. Quidquid præſenti in Indole ſuſpexeris molle? alienum; quidquid in Degenere notaveris non ferreum? adſcititium; quidquid veteri Aboriginum non conforme Regulæ? exoticum. Pudet non nihil

Patri-

Patriam, tali deliquiſſe & defeciſſe in abortu! ſi tamen Hi Ipſi, grande, & ſublime Poloni referant Nomen? qui nihil Avitis de moribus participant. Polonū eſt: pro Polo palmariter decertare; Lechicum: pro Legibus intrepidè mori; Sarmatarum exactiſſima voluntas, pro Romana Majeſtate occumbere magnanimiter. Vidit, & probavit Vaticanâ è Specula Eugenius IV. in Hoſtes Crucis, non inermem Polonum; Amurathes ſenſit; Vladislaus III. Publicâ ad *Varnam* ceſpitante Fortunâ, fatalem redactus ad Urnam, inter lethi expiraturus tela, nec ſenſit, nec doluit, nec mori expavit. Cordi, non manui tantùm Romanæ Sedis, ſub Paulo V. Sarmatarum accidit Gladius: Bella Domini, in imbecillitate Virium fortiter ſuſtinens, palmariter amplians. Excitatiſſimam Orientis in Arma, Univerſaliſſimus Chriſtianitatis *Vigilantius* Gregorius XV. ſuſpexit Lechiam; Fulmen Occidentis Oſmannus, inter bellici furoris tonitrua, ſuorum poſt depreſſionem Roborum, in Si-

gismundo III. submissis Adoreis coronavit. Vladislaum IV. Crucis Trophæis Inclytum, Lunaticus Amurathis impetus, crebris occumbentium excitatus mortibus, novit Domitorem; Urbanus VIII. tantam ad mensuram Gloriæ, Vaticanas inter Aras, vivæ vocis oraculo, *Præsidium Fidei*, celebravit. Majorem nunquam vidisse felicitatem, totius Latij testatum Septicollium! quàm in Joanne III. Innocentius hujus Nominis XI. Victorem se vidit Leonem; qui velùt Innocens Agnus, Christianis in Partibus, ab infrunita Bellua Solimanno, ad prædam, ad spolium, ad macellum arrogantissimè deposcebatur. Ità *Bellum Crucis* Polonis intimum; arma secunda, Victoriæ immortales. Domesticum hoc esto Classicum: nihil tanto ab opere remittere. Si quispiam anteactæ Gloriæ viget igniculus; hos in ignes sit volupe exardescere. Sagum induite! *Bellum Crucis*, JOANNES à Cruce invehit; Togam recolite! Idem Gratianus, Pacis concedit Oleas. Utroq; tandem è motivo col-

ligere libeat: quis à Latere Benedicti, à Corde Numinis, in hoc Regnum venerit Ablegatus. Ut verò & Bellum, & Arma faciliùs persvadeam, Hostium Crucis finitima metiar Castra, & metabor. Iniquè sentit, qui ad instituta Regni Alcyonia, inter procellas, & salebras se non videt constitutum. Non ipso namq; ab Oriente, sivè Australi è Plaga, hæc nobis feralis impendet plaga; etiàm quovis instanti vitæ, improbo intentata actu minimè ferialis. Absq; Barbarorum incestante, & infestante Hecate, frequentiùs ad occasum vergimus; & dùm caliginosis malorum comprehendimur tenebris; diem Nobis spondemus, & promittimus felicitatis. In Crucis Trophæa, & Beneficia, Bysthonia rariùs excandescit Luna; Orthodoxi Soles, Caniculari acti rabie, perenniter insolescunt. Æstu laborant, sed maligno; & partas victoriis Crucis, laureas consumpturo. Grandem Exercitum suspice! flagitiosis instructum Legionibus. Quot vitia, tot Bellorum initia; quibus in offendi-

cula, & depressionem Crucis incitamur. Maligniores Cosroæ! quos tantorum Trophæorum non arcent, nec domant Armamentaria. Totius Hostilitatis Corpus, universa humanæ simmetria mortalitatis; nocumentosi excubitores sensus, bella, damna, fraudes, calamitates machinantur. Agmen, quod ducat depravatus Animus, quis ad numerum? quis ad syllabum? quis ad orbitam? recto ordine, & lineâ valeat revocare. Tumet ambitio! & Majestuosa Crucis deprimitur Trabea; insanit arrogantia! & Lignum Salutis despicitur; excerebrata furit dementia! & Arbor Scientiæ Boni, Æternæ Thronus Sapientiæ non appetitur; malevolorum ringitur invidia! & Bonum Optimum non exigitur; intestina flammant, & ardent odia! & Amoris Vinculum, perfectæ Charitatis Unio non apprehenditur; Lingvæ lascivit procacitas! & Frenum nostræ arroditur concupiscentiæ; Idalijs datur Nomen & opera Classibus! & ultimæ spei Tabula retunditur; confusis desideriorum tumul-

multuamur fluctibus! & Metam Votorum Nostrorum contumulamus; intimè rebelles affectuum fovemus asseclas! qui in Crucis injuriam conspirârunt. Impia sanè Animorum Confæderatio! quæ in Nostræ Libertatis substantiam襲 ferociter insolescit. Blanda sui Dilectio? perenne Crucis odium; Liberrima Passionum Regio? Crucis despectus, & supplicium. Ludimus, an ludimur repuerascentes homuncii! & Nostræ Directionis Virgam lædimus; passum incitante volupiâ, hinc inde ad deterius salimus cicadæ! & Nostræ Firmamentum salutis, calce proterimus Ambitiosi. Inter notorii Amoris certamina, celeusma victores canimus! & Crucis profanamus jubila; Trophæa imminuimus. Altū inter flagitia ducimus somniū! ad offensam Crucis, funesti lynces vigilamus. In turbido scatentes malitiæ, Alcyonia credimus! ast perpetuam Crucis invehimus tempestatem. Sed non decet in Pacis Nostræ Aram & Arrham, ea hostilitas! non decet conflictus & virulentia! quæ in vitæ

Noſtræ Delicium recrudeſcunt. Regna ambitioſi petimus? regnavit à Ligno DEUS. Vitæ blandimenta quærimus? Arbor hæc dulcia tulit pondera. Salaces venamur Amores? intimi Amoris Venabula non apprehendimus. Læſi toties ſuſpiramus vindicias? Vindicis Inſtrumenta Potentiæ non arripimus. Fidem datam recolite! juſtiſſima librate ſtipendia! Sacramentum nunquàm violandæ unionis reaſumite. Si arma ſumitis? vibrate in vitia; ſi ſtylos acuitis? ſcelera plectite! ſi vim roburq; exeritis? pronas in flagitia potentias compeſcite! ſi Bella magnanimo apparatu inſtruitis? Crucis Trophæa, & Inſignia in Animis, in Votis, in Affectibus, in Frontibus erigite. Magiſtrũ expeditionis poſcitis? JOANNEM ad Laureas, ad Oleas Præcurſorẽ obtinemꝰ. Ducẽ tantarum Copiarum deligitis? JOANNEM hæc inter Arma Principem experimur. JOANNES à Cruce proſperabit cæpta; urgebit acta; palmaria conſummabit. JOANNES à Cruce præibit in aciem; flammabit in hoſtem;

ſtem; irruet in tela rebellis appetentiæ. Hujus motiva ſequimur? triumphamus; operum imitatione proſequimur? inimicitias enervamus; Palmas victricibus adjungimus palmis? Noſtræ monumenta victoriæ, lectiſſimis adoreis coronamus. Molles rumpite choreas, & inanias! ſtrenuum nacti Ducē & Athletam. Majorum Vita, Regula eſto Subſequentium. Cordati Caſtrorum Irenarchæ, Heroum Primum Vivens, ultimum moriens. Capuanas inter Roſas, Pœnus in Annibale langveſcit Mavors, & expirat; aureis ſub Nerone hamis, Tyberim prædatur Roma; Actæonem agit Depontanus ſub Auguſto Conſul; colla metit papaverum, lectiſſimus ſub Tarquinio Triarius; Muſcas offendit non Hoſtes, in Domitiano Latium; ſub Trajano paranympham inter myrteta requirit, & aſpirat umbram; non ignes, non focos Bellorum triumphales. Supplicium, & pœna Regnorum eſt! ad colum, & fuſum nati Principes; ſinguli malignâ laborant febri; ſi peſtis veniat à Majoribus.

Mili-

Militibus Arma, Armis Leges, Legibus Duces impendunt animam. Nunquam in Castris triumphant Leges; si ægrè vivant. Ægrè vivunt; dùm naufragi inter tomenta, non tormenta Duces, molliter expirant citra agoniam. Benè tandem sperare libeat! Bellum futurum prosperum, si justum; satìs justum, si Sanctum; Sanctum, si Sancti promoveant. Non enerve prælium, si Vires adjungant Magnanimi. Armorum sors & alea, neutiquàm futura dubia; in quam urget coronata JOANNIS experientia. Quodlibet Istius, Vitæ Beatæ instans, Æternæ Parens Gloriæ. Exactum à Divo momentum, perenne Claregestorum monumentum. Ad Vitam venerit, vel ad Mortem? sit intra discrimen! Cui vita continuas inter mortes expirabat. Errorem corrigo: mori nequaquàm potuit, qui in hostes animæ, offensores Crucis conspirabat. Puerilem Prætextam, in Sagum consecravit; Victoremq; fecit, nec vinci, nec vincere potens Infantis Innocentia. Offendit hostem: cui nunquàm be-

nè

nè precabatur. Extorſit adoream: cui ne pilum laureæ concedebat. In Angelum Lucis ſe compſit Infernalis Poteſtas: ut Incarnati Societatem Angeli faciliùs demeruiſſet. Prodit ſtygijs ab undis, malè lotus Tenebrio; & ſimùl mentem, ſimùl oculos offendit Innocentiæ; páſſumq́; in arma urſit, & inflammavit. Cave Divine Pugil! lubrica pugna eſt, etiam labi inſcio. Dùm flammat ignitam Orci in belluam, Sacratior Flaminius; mobili elemento mergitur, ad dolos, ad damna, ad Stratagemata, antiquiſſimi Veteratoris procellis incitato. Inſilit voraginem Candidior Narciſſus; aſt qui nunquàm Najadum peccavit in conſortium, naufragio nec pænas luere, nec noxas abluere debuerat. Hinc ardens & flagrans amore Puer, ſed non Cupido; Sacratioris ſinum Thethydos felciter innatavit. Ab hoc flumine Achilles ferreus in arma prodijt, cuivis obſcæno Paridi, illecebroſæ Helenæ, pumicatæ Cypridi, gravis! moleſtus! inimicus. Diluvio ſorberi non poterat No-

vus Deucalion: Cui Arca Cœli in vitæ discrimine opitulata. Ferebatur ſuper aquas Innocens Columba: Avernalem Milvum, lectis è Typica Vite Maria oleis, ad rabiem incitans, Tanto ſibi in Præſidio, minùs nociturum. Et hæc rudimenta Infantiæ, JOANNEM in Arma Crucis fecerunt non Neoptolemum; qui demùm arenam ingreſſus Palladiam, pleniſſimâ manu Laureas meſſuit in Adoream. Vicit ibidem palmariter omnia; quæ ſe tenerum vincere faciliùs potuiſſent. Inter Juvenum diſturbia, Antiquiſſimum fudit & confudit Veteratorem; ſcitè & probè ſentiens, ad paginarum Lilia, nullis noxarum lancibus debere inatreſcere. Fatua aliàs Eruditio, inter fatuas Sæculi Virgines corrupta, & proſtituta. Lampades, ſivè lucernas extingvunt Honeſtatis, dùm phialas complent iniquitatis. Martẽ interim JOANNES ut ſe probâſſet ſtrenuũ, Rhodopen petijt; quam *Carmeli Culmina*, ſivè in Liliati Candoris Nivibus, ſivè in Heroicis Actibus ipſiſſimam effecerunt. Sacra-

cratiſſimam Bellonam ibidem Domeſticam reperit; Cujus familiari uſus operâ, toties de hoſte triumphavit. Plaude Divine Heros! Galeam indutus & Amuletum Salutis, Tartaream opprimes, & deprimes Poteſtatem; ſi tamen is ipſe hoſtis, eam infeſtet Coloniam? quam Angeli Pacis poſſederunt. Carmeli Apex, Mariæ Thronus eſt; quem Fortes undiq; munierunt. Oleas non deſpera! quas floridior Palma, in hoc Libano, Scientiâ, Eruditione, Probitate, ſummâq; Heroicitate Actuum, promittit Apricantibus. Nec non Salmāticenſes Laureæ, optimè JOANNI deſerviunt ad Coronam; Studiorum è gradu, Faſtigium Religioſæ tenuit Beatitudinis; dumq; Doctorales meretur Cathedras, Aris colendus addicitur; Scientiarum Candidatus, Rex Sacrorum efficitur. Togam exue Divine Elector! in Prælia deſcenditur: dùm in Solia; exulat Animi tranquillitas: dùm Coronata Regum Capiti advenit felicitas. Nemo ad hæc Bellaria, non malum ſapuit; ad hos Voluptatis Crateres, non mortem præ-

libavit. In melle aculei, in Purpuris tineæ, in Sole radij, in Rosis vepres, plerisq; admodùm nocuerunt. Summa Dignitas, extremæ calamitatis centrum, & motivum! absoluta Potestas, adversorum subjectio violentissima. Aram pro Throno, suâ felicitate Secundissimus JOANNES occupat: & totius Averni Satellites armari suspicit, suæ invidos felicitatis, non Ministros. Spirituale in Animas prehendit Imperium: Ejusdem Prætensores iniquissimos didicit, & probavit. Timuit tandem ex integro, absolutissimæ Potestati, fidelem se posse monstrari servum! dùm tot, tantosq; in Regno Christi, partiales advertit Supplantatores; integrales expertus Corruptores. Socios in Imperio, Novus pati nequijt Elector: ferre debuit, importunè Suæ Provinciæ Limites involantes. Sed nihil factum laudabiliùs: Universum Christi Populum, Hujus Regimini submitti expedierat: Cui Filius Hominis, se credidit in Potestatem. Totam Æterni Substantiam Patris, Eucharistico in Orbe, Unige-

nigena Dei cessit JOANNI; Jus, Utriusq; Ecclesiæ in Corpus, inter Holocausta, & Sacramenta Altaris, suo transcripsit Consangvineo. Olim JOANNES, in Terris Christi Inaugurator: tunc Christus JOANNIS Irenarcha! Præivit, & præoccupavit Gratijs: ut earum fecisset Promocondum; summis prosecutus favoribus: ut Supremum Potestate, in hoc Ministerio indicâsset. Plura ut dedisset JOANNI, unum supererat; Gratiâ donavit Finali noviter initiatum Mystã, quam in Termino amiserunt multi; in medio tenuerunt pauci; paucissimi in principio, consecuti. O! ineffabilem Gratiarum Numinis emphiteusim! JOANNI omne præstitit, quod potuit; omne potuit, quod præstitit. Sic in Agno Cœli JOANNES, in JOANNE Agnus, non ultrà macellum subiturus flagitiorum. Ergò tenebrarum Princeps, cum Filio congredieris Lucis? Ergo veterane Criminator, Novo damna instrues Gratiano? Ergo maligne Auceps, JOANNI Aquilæ nota malorum protendes venabula?

bula? Ergo venenose Coluber, innocuo insidiaberis calcaneo? Ita est: congreditur, sed pro galea Religiosum indutus peplum: camelorum setis, & cilicio communitus; ut securior Triumphum ageret: mollia elegit; ut superbus non caderet: comi supercilio, modestiæ vultu, malignus palliatur; ut aperto non pugnaret Marte: ad Religiosa se contulit, & collegit septa, & Præsidia. Proh pudor infesti Hostis! sedecim Infernalium Potestatum armatus Legionibus, unicum JOANNIS spiritum nec tulit, nec sustinuit! & qui Polemicis, Naturalibus, Mysticis, & æquè Divinis argumentis, sagacissimam in Viris ingeniorum attonabat, & confundebat aciem! tandem Discretionis Donum in JOANNE contemplatus, obmutuit; lingvamq; instrumentum malorum hebetavit. Sic cadere debuerat! qui inter mollia, stygius Anibal perditè naufragabatur. Sic interire debuerat! qui Bajatensium Provinciam, luxurians anilibus fabellis Alexander, damnosè incoluerat. Deme flagitiorum portenta!

ta! nec Innocentiæ Gynecæum, Idalijs funesta larvis! salebrosam in Naufragium age Papho! nec ad portum Religiosæ quietis obijce tumultuariam! Si ferreum JOANNEM probas? mollibus quid exploras; si Hostem, si Inimicum stomachabundus declaras? quid in fædera nocumentosæ Amicitiæ, Personas deputas, honestatis, candoris amuleto exauthoratas. Sed benè est: Sacram Cellæ solitudinem, salacissima involat Progne; Innocentissima Columba evolat, posthac Deo Sacra, Deo dilecta. Sic toties profligatus in Acie, elusus, & confusus in technis, vindicatis iniquè Fœderatorum proscriptus Contractibus, jam in Segobiam, jam in Abulam, jam in Granatam, jam in Baezam, jam in Medinam Campi, dispersis in Copijs, sese collegit Luciper; ut illic quievisset securiùs inquilinus. Diutiùs latuisset forsitan? nisi voce sese prodidisset ænergumenorum. Suis receptus substitisset domicilijs? nisi nova in prælia, Ducem, & Strategum Crucis: *Venit Alter*

Basi-

Basilius! Basilius venit! ut Nos torqueat, ut Nos insectetur; extremo veluti Classico incitâsset. Nec aliter eventum: Quocunq; palmarem JOANNES intulit passum & vestigium; mox è vestigio, infernales tenebræ, tanquàm Umbræ à facie Lucis declinaverunt. Ità partæ, & sumptæ de Hostibus Crucis Victoriæ, JOANNEM loqvuntur Magnanimum! loqvuntur Immortalem. Seraphicas jam Teresiæ consulimus Sagittas: quô Ministro, & Duce, in dubijs prosperè, in adversis fortiter, in sinistris providè triumphârunt. Sagittæ Amoris sunt: ità pro Gloria Sui decertant Herois! Sacratioris Cleopatræ Uniones, Suo Antonio perenne consciscunt pretium! quò digniùs in Omnium aures, & sensus, veluti gemmea grando illaberetur. Dixit Teresia: & omne Viri complevit elogium; fassa Mater: & expeditam Filij laudavit Dexteritatem; recognovit Filia: & Patrem locuta: veluti in pace Numam, in Sago Gradivum, in Toga Consum; religiosiùs sensit:

ſit : veluti in ore Chryſoſtomum, in eloquio Chryſologum, in amore Auguſtinum, in teneritudine Bernardũ, in Vigilantia Gregoriũ, in contemplatione Hieronymum, in Uno Omnia, pauciſſimâ dialecto exprimens: *Hinc inde lumen & robur inquirendo diſcurro, & ecce in meo Parvulo Seneca totum ſimul reperio*; ineffabili geſtientis Animi lætitiâ, perfectiſſimâ ingenij æſtimatione, mirâ ſenſuum voluptate celebravit. Etenim quæcunq; dixit JOANNES: Æternitas notavit; quæcũq; ſanxit: Cœlũ, Eccleſia approbavit; quæcũq; ſuis cõtexuit voluminibus: Sacra Cardinalium Congregatio, ut Divina Oracula adoravit. Laudes, & præconia Viri, Vaticana extant, & perennant inter monumenta; quæ legi dignum; recenſeri conſonum; æſtimari Volupe & gratioſum: *Libros de Myſtica Theologia, qui per diverſa Regna circumferuntur ſcripti; Cœleſti eruditione facundos, ſublimi adeò, & admirabili ſtylo conſcripſit; ut Talem Scientiam Divinitùs revelatam, non humano acquiſitam ingenio exiſtiment omnes*. Ità

 Aſcen-

Ascensum Montis Carmeli, tribus Librorum explanavit fastigijs: ut singulos in Montem Sanctum, qui dicitur Christus, elevaverit. Ità *Noctem obscuram* Ingenij sui exterminaverit, & elucidaverit radijs: ut innumeros ex umbra mortis, è caligine sæculi, ad Lumen Gloriæ, ad Lucem Sanctorum vindicaverit. Ità *Flammam Amoris vivam* Redivivus Elias, non minùs Librorum Capitibus, quàm Liberorum infudit, & inspiravit Cordibus: ut universos in Arma, & Hostes Crucis, ardere, & flammare fecerit activissimè. Ità *Spirituale Canticum de Sponso Christo, & sponsa Anima*, scientifico præ-lusit organo: ut triumphale epinicium Honori suo perenniter instauraverit. Ità *Cautelas Spirituales, adversùs tres Animæ Hostes*, suis providit, & circumscripsit Codicibus: ut Legem Armorum, perpetuam conflictûs necessitatem imposuerit. Bellũ Crucis instat! dùm ea in Arma Juratum suspicimus Ducem, & suscipimus. Prælijs devovendi Animi! dùm Animam Heroicæ For-

Fortitudinis JOANNEM, Myſtico Eccleſiæ in Corpore, fortiter agere animadvertimus. Molli ab otio vindicandum Caput: blandis & ludicris illaqueata, emancipanda pectora! dùm perenne, in Arma, JOANNIS urget Claſſicũ; urget teſſera, nũquàm ab ore, nũquã à corde aliena: *aut vincere, aut pati, aut mori* Bellum Crucis inſtat! in id, & Votis, & Animis, & Affectibus, unà, mecũ conſpirate. Bellum Crucis inſtat! niſi Bellum elegeritis? Pacem Crucis deſperate. Bellorum Filia Pax; Semen Armorum Gloria; Fructus laborum Adorea. In Pace, Bellũ ſperare commune; Pacem poſt Prælia invehi proprijſſimum. Lauros, & oleas, uno eodemq; profundi palmite, Crebra omniũ didicit, & docuit Experientia. Bellum, & Pacem Crucis in Divo JOANNE à Cruce ſalutate! Dum cadet Hoſtis: amænior aſſurget Pax; dùm tollentur inimicitiæ: fœdera cum Numine ſancientur æviterna. Etenim: ut DEO intimè Amicus adhæreas? exigitur Gratia; ut teneas? JOANNES ſufficit. JO-

ANNES eſt Nomen Ejus! in hoc Gloriæ Ejus Natali, geſtire votis, gaudere animis, ſalire affectibus, tranquillam in triumphis ducere conſcientiam expediat. Explicat Indumenta Candoris: Pacis Vexilla intelligite! ſolvit calceamenta Divinus Legislator Carmeli in faſtigio: pro Pace, pro immunitate Populi, cum Deo Acturus Sacramentum. Crucem complectitur manu: Pacta Cœlis, & Terræ conformia, Hoc munimento, & Inſigni rata, & grata teſtaturus.

Plaude Patria! & Carmeli ex corde applaude Faſtigijs! in Arma Crucis Ducem, in Oleas Statorem, in JOANNE à Cruce, Conſpicuum receptura. Militans plaude Eccleſia! Triumphantem ſe toties in Carmeli vertice teſtatura. Æſtimatiſſima Fidelium plaude Corona! in JOANNE Gratianos, in Divo Sanctiſſimos, in Religionis Protoplaſto, Religioſiſſimos Filios coronatura. Patrem Carmeli in Luce Sanctorũ ſuſpicimus, & ſucipimus! Carmeli Filios

abſq;

ábſq; Lumine Gloriæ, nunquàm videmus. Divo Apotheoſim impendimus: Vobis has ipſas Aras concedimus; genua in adorationem Comprehenſori flectimus: Vobis Cervices, & Capita arcuamus; Identicam Divi honoribus, Veſtri ut probemus gloriam: indiviſibili Cordium ſimùl ſemelq; gratamur. Benè hic congruit: ſi alibi fallat; Sapientum Gnome: Pater Definitio Filij; Filius Index Patris, & Commentarius; nam ubi JOANNEM; Oratorio penicillo, ad Publicam minùs expreſſi Notitiam? Carmeli dùm reſpicimus Genios, Viva Simulacra Patris veneramur. Omnium Anteſignanũ Probitatum & Ducem, cùm debiliter ingenij acie propugnavi, & celebravi? Univerſum Virtutum Firmamentum & Caſtra, Carmelum appellate. Nihil JOANNI proprium: quod hìc non commune. Nihil Divo ſpeciale: quod hìc ad guſtum Univerſi, ſpecioſiſſimis Analectis Gloriæ non condiatur. Nihil Sancto eſſentiale: quod Talibus, Tantisq; Filijs non hæreditarium.

Cœlum Æternæ Gloriæ Patriam, etiam dimitteret JOANNES! Carmeli inter Angelos, ſvaviſſimè hoſpitaturus. Nec Totus jam ibidem manet, Accidentali in Gloria Vobis Præſentiſſimus. Religio Bona! Quot quantosq; Cœlites habet Domeſticos! dùm Cœli Dominam familiarem. Religio Bona! Omnibus, Par Divis; Major Summis; Suprema Maximis. Altiſſimam Scientiam reſpicis? Abyſſum metire Thomiſticam; ex hâc nonniſi Menſura patet, ſuo Menſurato adæquatiſſima. E profundo Scientiarum, eminentiùs Thomas extulit Caput! ſublimiſſimis, & Subtiliſſimis Carmeli Verticibus admodùm faſtigiatus. Sic Aquinas, Carmeli Objectum intimum! Carmelus, Aquinatici Cordis Motivum, & Centrum. Tantum laudatiſſimâ Scientiâ, Toti Orbi lucet Carmelus: quantum Thomas! quia in Thoma Carmelus, in Carmelo Thomas lucidiſſimus. Religio Bona! quæ nonniſi Divos Orbi, Cœlo, Eccleſiæ abundè providet, & pro-

proſpicit. Religio Bona! Scholarum Piarum Inſtituto ſemper Optima; è qua per Venerabilem Servum *DOMINICUM à IESU*; Virum mox Divorum celebrandum Aris, Cœleſte *CALASANTIUS* architectandi Operis cæpit, & concepit motivum; *JOSEPHUS à Matre Dei* Sui Ordinis augmentum, in *GLYCERIO à CHRISTO LANDRIANO Abbate*, *GASPARO DRAGONETTY Univerſitatum Sole*, Cæteriſq; in hunc finem Religioſæ Vocationis Viris, Cœleſti Luce & Gloriâ Eximijs; æviternâ Dignis memoriâ, è Carmelo, aut Sanctorum Faſtigio, directis, & ſubminiſtratis vidit Conſpicuum, & Sublime. Religio Bona! quæ Matris Dei Pauperes, Novos olim in Hoc Regnum Advenas, ſuis Prima perhumaniter excepit Cordibus; ſuſcepit Ædibus; Scholiſq; Pijs, Publico Collimitaneis in Regnis tumultuãte Gradivo, in Sacratiore Parnaſſo gratioſiſſimam indulſit Stationem. Applaudunt

Hæ

Hæ Ipſæ: ſolido, & fixo in Vos Affectu Stabiles; Gloriæ Paternæ Auſpicijs; & dùm JOANNIS ad Solennia, Præcurſores obſequio, Veſtri Nos effecit Favor; Gratæ mentis ſecretum pandimus: cùm Divi, & Veſtris Honoribus Corda impendimus, & appendimus votiva in anathemata.

DIXI.





PANEGYRICUS.

Divinissimo THOMÆ Aquinati Angelico Ecclesiæ Doctori dictus in crastinum post Dominicam primam Quadragesimæ.

SÆculi Genius est: quem Mysticus Evangeliorum Codex, in primo Quadragesimæ notat & præsentat vestibulo; eoq; jam minùs castigatus Minister audiat; quò maligniùs Verbo deservijt Humanato. Satìs jam crudis Numen exasperavit oblonijs; Divinoq; beneplacito, spongiam nonnisi malorum, ad amaritudinem, condivit feracissimam. Sic cultæ, & implantatæ Cælesti Palmite stolonescebant Vineæ: ut expectatam fructuum

Vindemiã, labruſcarũ ubertate corruperint, corripuerintq́;. Doluit tandẽ adeò intimè cũ Filijs dæliciari hominum! tot tantisq́; immedulatis in vitio carcheſijs exacerbatus. Nulla in Civibus Urbanitas, in Urbibus Civilitas, manſvetudo in hominibus, in Orbe hoſpitalitas: Omnis in Regijs ferocia, in Principibus averſio, in Optimatibus malignitas, Optimum è medio Noſtri Advenam turbavêre. Hinc Avia ferarum petit: dùm devios ad amorem ſui nec flectit, nec allicit Terrigenas. Eremum libens incolit, turpem populi averſaturus Solitudinem: in qua ſui ipſius nonniſi Amor, cunctos in ſimias efformaverat. Jam tesquorum inter latibula, belluarum init conſortium; quas ab ipſo in hæc declivia exortu, in ſe vidit, probavit humaniſſimas. Tecta Domino non negat Eremus: quæ Urbes, Oppida rariùs indulſerunt. Sed tandem gratam in hoc Symbolo Viventium expendamus mentem: offam, durosq́; Fameſcenti Gratiæ obtundit lapides; ſaxoſas Univerſaliſſimæ Providen-

tiæ

tiæ inſtruit dapes; qui mollibus in ſæculi abuſu, & uſu luxuriabatur. Adeò duram Cœlitum Principi occallatus Animus condit portionem; faventiſſimis in vita edulijs ablactatus. Ægram nimiùm,& maleſanam Talem Tantumq; in Hoſpitem, Humanitatem! ſuis obſequi urget, & appetit deſiderijs; impendendis Domino nata miniſterijs, & deſtinata. Typus hic Noſtræ genuinus amentiæ: qui ſervire peccatis Authorem Gratiæ obligamus. Montes demeritorum aggregato tumentes conſcendimus: & dùm omnia promittimus, prono in vota Noſtra Superorum Auxilio; ſomnia reddimus, vaniſſimis deluſa & abſoluta ſimulacris. Sic non in leviſſimis Numen offendimus tentamentis! dùm ad graviſſima concurſum facinora ſollicitamus. Aliam, aliam rerum faciem: Huic, qui Totus oculus eſt: Mortalium exhibeat Activitas; geſtaq; condat, & condiat ad guſtum, ad placitum, in hac ſorte diutiùs Jejunantis. Communis in hoc laboret induſtria: quò

dignius Numen reficiat oblectamentis. Placent incorruptæ mentium, Huic Antonio gemmulæ: has amæniſſima Animati Veris propinet Teneritudo. Placent Autumnales Ætatis Noſtræ fructus: hos ſuo Vindemiatori litet, & conſecret probatiſſima Conſiliorum OEconomia. Nec fungos, inviſa Terræ ulcera, Sacratiſſimus Hic averſabitur Anachoreta: quos decrepita, & depontana, longa, & diuturna poſt demerita, Vetuſtas immolaverit. Fameſcit Jejunus in Orbe Viator DEUS! in Cujus ope nullum Vivens eſurit. Gratiarum fameſcit Plenitudo! à qua omne impleri deſiderium, non ſit extra prodigium. Gratas tandẽ referamꝰ vices: & Cui unicè vivere cogimur: dignum impendere miniſterium ſatagamus. Speciale expectat tragema: hoc in caſu decet eſſe hoſpitales. Veſtrum erit, pro Genij Voluptate, ijs ſcitè proſpicere rebus; quibus tantæ ſit proviſum exigentiæ. Veſtrum erit, ijs inſudare edulijs: quæ Dominum ad animi inducant, & ſerenent jucun-

cunditatem. Veſtrum erit, Generoſos in hoc probare Senſus: quò ſufficiant oble-ctare Poſcentem, viciſſimq; in Eodem ob-lectari. Ego interim hos inter apparatus A-nimi, & motus: *Aquinatem Æternæ Con-vivam Sapientiæ* celebrabo. Diſtrahent tæ-dia, ſvaviſſimi THOMÆ ſales: quibus mi-rè affecit Superos; doloſum ſæculi caſtigavit Geniũ; barbaros Parentis affectus læſit abſq; cæſura; exacerbavit abſq; acrimonia; offen-dit nunquàm Satyricus, nunquàm aculeatus.

Convivam Æternæ Sapientiæ, ut integer notet Orbis, non ſatis eſt verborum tra-ctâſſe bellariјs; aut Oratorum animâſſe pneu-matibus; niſi convivantem, ſimulq; con-viventem Domino THOMAM, expediat indicâſſe. *Æternæ* quippe *Sapientiæ* hoc opus eſt: Natam in tempore mortalium in-dolem, in Gratia efficere coætaneam; ſuiſ-qué innutritam oblectamentis reddere ſpe-cialiùs. Æquè amoris attributum eſt: & agere in ſimile; & ſimilibus cuncta ſibi mu-neribus conformare. Deſipiunt in amato omnia:

omnia: quæ amantis placitum non oble-ctant. Amatorum irritat palatum: quæ Amantium cordi arrisit portio eduliorum. Damnant ad tenebras Sobolem Aquilæ: quæ ad Solis lumina ignaviter obsolescit. Columbam non metuit pullus, virtute Patrum procreatus. In leporem si sæviat Leunculus? dubiam ortûs Fortunam facit; cui, magnanimæ indicio naturæ, fortem prostrâsse prædam sufficeret. Et Soles amica Cœlis fugant sydera: quæ paribus ad meridiem gloriæ parælijs non exardescunt. Defectus Gratiæ foret: si Electos in omni merito non discerneres Gratiosos. Nihil profectò partiale in Amatis: omnia communicant; quibus pariter tumere ad gloriam, Utriusq; sortis exigit legalitas. Convivam volunt esse cæteri: quibus simul convivere labor, & desiderium; scilicèt ut eodem nutrimenti beneficio, spiritus referrent non heterogeneos. Pars maxima alimenti, in alito: dùm alteratur, alterat; suisq; temperamentum in homine causat ac-ciden-

cidentibus. Plebeia repetitam ad crambem vilescit genesis; inter caules, stivæ non acumini, ligoni non paginæ, arvis non armis tractandis aptior, toto declamatus Latio Arator audit, non Orator. Corrumpunt generosas qualitatum species: dum corrumpi creduntur cibaria; tantumq; plerisq; officiunt, quantum proficere autumavimus. Rosis, Mytologorum è sensu, immedullatus Phosphorus, vernat inter Astra nonnisi Roseus; Pastus inter Lilia Narcissus, nivibus candescit gloriæ illibatus. Ferreus in ardua Hercules: Cyclopum ad Lyparam frugalis beneficio; Palladio teneriùs prælibato lacte, Galaxiam ad superos notat, ad Numinum Consessus, & Solia Candidatus. Placuit *Æternæ Sapientiæ* in THOMAM cor apponere; in *Aquinatem* plenissimis Gratiarum alveis exundare. Placuit *Infinitæ Bonitati*, in *Abyssali Nomine*, Suarum Gratiarum Abyssum declarare. Placuit *Aquinatem* à communi Mortaliũ periculo segregari. Nec hic est Beneficij terminus: qui THOMAM

MAM sibi esse voluit finitimum; voluit esse *Convivam, & Commensalem.* Sic Divinus ut audiret Thomas: præcipuâ Divinitatis portione, immortalibus Gratijs ablactatur. *Aquinas* sæculorum decursibus ut celebraretur *Sapiens*: *Sapientiæ Æternæ Conviva esse meruit.* Hoc Magistro, Doctor; hoc Sole Scientiarum, Aquila; hoc Authore, Fidei & Ecclesiæ Medulla; hoc Convivâ, THOMAS Angelus, altissimis triumphat, triumphabitq; in prædicatis. Corrumpunt mores bonos consortia prava; æqueq; Sapientum tenet monitum: quo, & cum quibus civiliter perfruaris; accurato sensu prælibare. Plures debellaturos inter mensas Alexandros, Bajatensium fudit, & enervavit hospitalitas; Furentes impotenter Alcidas, prægustata Dejaniræ oblectamenta trucidârunt. Rarior Conviva Balthasar, vindicem Mucronem & chalybem declinavit; & ad erratorum elenchum & notas, etiam incalescens animo, non expalluit. Parides habes: sed ad mensas Menelai; Me-

deæ

deæ ad alloquia, Creusarum ad consortia, Iasones contemplaberis: sed fædifragos; sed scelestos. Vitiorum natura est: socialem inter vitam, mentis concepta animare; promptiùs nefanda audet præsentiū authoritate animosus. Neroniana ab aula: quis non cruentus? Tyberij é regia: quis non Biberius? & mero, & tabo civium ferveat temulentus. Attalicas inter dapes, fastum saginas; Sardanapali inter bellaria: bella moves, sed virtuti admodùm perniciosa. Mydæ, Cræsoq; assides: auri sacram famem perpetuò in animis excitabis. Intrepidus, & infractus Pelides: sed ex Chirone & Thethyde; ferreus Themistocles: sed ex Alcibiade; redivivus Augustinus: sed ex Ambrosio; sanctior, & religiosior Antonius: sed ex Paulo. *Thomas Æternæ Conviva Sapientiæ!* quid ad virtutem? quid ad Sapientiam? quid ad immortalitatem gloriæ traxerit? controvertant sæcula; annorum disceptent myriades; librent ingenia; expendant fasti, meritorum

ritorum pretio fæcundati. THOMAS Æ-
ternæ Conviva Sapientiæ! quid *de Aquinate* dicendum? de THOMA sentiendum? quid in scientiarum notandum Primicerio? quid in Doctore ponderandum Angelico? Vestrûm Omnium, non meum esto judicium. Panes jam Propositionum exigimus: quibus sanctiùs convivatum Ganymedem probaremus. Posuit mensas Æterna Sapientia: quæ *Domum septem innixam columnis ædificavit; immolavit victimas; vinumq; miscuit Convivantibus.* Optima lautitiarum instruxit congiaria: dùm omnes absq; argento, & auro spondet & vovet reficiendos. Sed hæc Cæteris etiã communis dignatio: THOMAM ut intimæ acceptionis, *Æterna* declarâsset *Sapientia*: ad sua invitat tragemata; proprijssimis (*meus cibus est, facere Voluntatem Ejus, qui misit me;*) tractat & ablactat delectamentis. Quid ad hæc THOMA? ea oblatorum placetne portio? Tuone ex integro jam cedis juri? ut Primo, Principaliq; Moventi

ex asse

ex asse obsequaris. *Durus hic cibus*: rariùs cujuspiam palato arrisit non nauseandus. *Verba Vitæ Æternæ habes*: facilè mentem reficere possunt; dum sanctis impingvatam Gratijs perficiunt. Lautè vivit: qui in hoc Cælesti Manna convivatur. Liberalem se adeò in his *Æterna Sapientia* exhibuit THOMÆ! THOMAS *Eidem* se præstitit admodùm hospitalem; dum ijs morem gesturus Consilijs, cupijt hæc inter vitæ edulia, perpetuò obsonari. Avidiore, hæc liba & tragemata sumpsit Genio: quæ *Verbum* condidit, & condivit Carofactum; exnunc voto, facto, exemplo consummanda. Ardet, non fluctuat in animo Aquinas! dum eam spiritûs prælibat jucunditatem: frugaliorem se nunquam ratus futurum esse *Convivam*! quā dùm *non in solo pane, sed in omni verbo, quod procedit de ore Altissimi* se videt intimiùs exsatiandum. Quis sensus Tali, Tantoq; de *Conviva* Auditores? incalescet magìs! dùm ad sacratiora carchesia: (*potestis bibere calicem?*

licem ? quem Ego bibiturus;) Thaumaturga DEI Humanitas invitabit. Parce ætati THOMA ! *in Vbertate Domûs DEI* naufragaberis. Tenerrime viribus parce *Pusio!* grandævos, Solidoq; præstantes robore hæc Spartha exigit. His alia Aquinas occinit: si tenuis, & mollis arundo sum ? Hoc in *Fonte Bonorum* radicabor: si tenerum, & enerve germen? Hujus complexu *Vitis* fovebor; si terra inanis & vacua ? Hoc in *Palmite* fæcundabor; si umbra, & cinis ? Hoc à *Sole* serenabor; si conformem negotio, & operi animi maturitatem non præfero ? *Æternæ* intimiùs adhærens *Sapientiæ* in Virum perfectum efformabor. O! pares *Hospitanti* in terris *Gratiæ*, etiam in *Conviva hoc* Spiritus ! desiderio desideravit manducare *Pascha*; id est: *Transitum* de gente, ad gentem sanctam accelerare. Placuit hoc recentioris Testamenti, & Gratiæ Manna, à sæculi absconditum sapientibus : quod pleno libantes ore, Religiosi Patres, *Dominici sub Stella*, ad Lu-

men accesserunt incomprehensibile. *Roseus Adolescens*, sed absq; spinis, & aculeo: cum *Aurora*, id est: *Gusmanni Astro*, quod totum jam plenè serenaverat Orbē; verecundiæ rosis, intaminati candoris lilijs, cupijt animitùs immedullari. *Theodora* taces! dum THOMAS *Vox Clamantis* audit: è deserto sæculi, Paradisum voluptatis petiturus. Dissimulas Mater! dū Filius Spiritu DEI ebrius, nimiâ laborat prodigalitate; jam Nomen, quod toti celebre & notum Universo; jam Sangvinem, quem Ducum, Comitum traxit è medullis; jam Bona Corporis, & Animi, quibus Avitum Genus, & Prosapiam ditari, & dotari oportuerat; Religioso Subditatui obarrhaturus. Gratiosas tenerrimæ Indoli instrue cupedias! ut viscosis affectuum venabulis, volucrem, & agilem in jussa Domini, *Aquinatis* refrænes, & sistas voluntatem. Lautitiarum in edulijs & svavijs, cordis resera penetralia! ut his satur THOMÆ *Animus*, non ultrà *Conviva Æ-*

 ternæ

ternæ Sapientiæ, velit esse futurus. Agit violenta non segniter Parens: ut Natum à Sanctis revocâsset Propositis, à studijs avulsisset honestatis. Martem lachrymis & questibus inflammat & efferat; ut in tenerrimam *Thomisticæ Expeditionis Aciem*, plùs æquo & justo desævijsset. Barbarior Iuno Præliares Harpias non Aquilas, in Triumphatorem sæculi Herculem, movet, urget, incitat, & sollicitat: ut ad cujuspiam Ioles consortia inhonesto traxisset, & inflexisset lenocinio. Nimis portentosam amoribus Hecubam! nisi in THOMAM incidisset, non Paridem. Nimis virulentam suo tragemate, & stratagemate Libitinam! nisi *Aquinatem* reperisset, non Ganymedem. Nimis immorigeram nocumentosis affectibus Phædram! nisi innocentiorem Hyppolythum explorâsset. Ad *Nuptias Agni* lætus salit, & contendit Iuvenis: fatuas à contubernio & alloquio discriminabit lænas; Sapientum in numero Virginum conversaturus. Tolle fascinum

mali-

malignior Circe! nihil ſenſibus obſecundat THOMAS, ſcilicet Æternæ Conviva Sapientiæ. Anteactum olim Pia Parens in memoriam contingens revoca! Facigerum Te edituram putabas: hinc nihil habeat cum ſæculi tenebris; Catellum tuo ferri utero exiſtimabas: hinc umbram etiam vigil exagitet cujuſpiam iniquitatis. Immortalem, quia tot tantiſq; luctantis Naturæ non naufragum in caſibus, ſenſiſſe audebas: immortalibus exſatiandum cupedijs, cave! impedias. Si THOMAS eſt! à corde, & in corde *Æternæ Sapientiæ* debet convivere, & convivari; cujus Bonitatem palpavit, Svavitatem ſenſit, omne commodum expertus animæ intimiùs adhærentis. Si THOMAS eſt! Apoſtolico Prædicatorum inſcribi exoptat Collegio; ubi Sacra Dominici in Familia, *Dominica Sapientia* converſabatur. *Convivam Æternæ Sapientiæ*, jam tunc THOMAM eſſe memineris! dum ea ſumpſerit: ad quæ nec caro, nec ſangvis, nec bene præguſtata ratio impulit,

pulit, & illexit gemebundum. Sensit amaritudinem vitæ, fato quopiam exacerbatus Infans; dum mollibus fasciatus, totus in lachrymas usq; dissolvebatur. Damna quæpiam sibi impendere, & imminere metuebat: dum indicibus lachrymis declarabat. Admovebatur pectori; dolebat; distrahebatur crepundijs: lugebat; gerulas levabatur per manus; nihil à suspirijs remittebat; aedonum, lusciniarum solabantur modulamina: sociam adjungebat vocem, sed gemitibus, sed dolore articulatã. Nectareis bilẽ leniebant mamillis: famẽ & orexim bonorũ perpetuã querebatur. Angelico tandẽ provisũ consilio, prospectũ ministerio: ut patuisset palàm, cujus Conviva THOMAS futurus! dũ foliũ *Mariano* fæcundũ *Nomine*, orexim stitit; gemitũ sedavit, amarorẽ animi dulcoravit. Theodora *Mariam Acervum tritici vallatum lilijs* è sensu Epiphanij audire potueras! nunc THOMAM esse crediderıs; quem ut omnia signâssent indicia, pulcherrimo Dominici cupijt amiciri

miciri lilieto. Si Maximi oraculis: *Maria Manna cælitùs veniens* proponitur & declaratur; THOMAM hoc usum viatico, in Terram novam & sanctam, lacte & melle fluentem descendere; discerne non inconveniens. Si jam Mellifluo Teste Bernardo: *Maria Fons & Flumen Sapientiæ* Aquinatici pectoris inundavit classem! Portum vitæ petijsse debuerat, in quo Domesticam Cæli Sapientiam reperisset. *Mariæ Nomen*, (Cretensis jurat!) *Crater Æternæ Sapientiæ, qui exinaniri non potest*; quem mæsta & molesta Parens, Thomistico dū affudisti palatui; ampliùs *Convivam Æternæ Sapientiæ* nec impedi! nec denega. Citrà Epyrotarum praxim, *Crater hic, aut Vniversalissimæ Sanitatis Poculum, Boni omnis erat!* quod Aquinatem, Religiosum, Divinum Virum, & Asseclam figurabat, *Convivam* insuper *Æternæ Sapientiæ*, Conviva THOMÆ Seraphicus testatur Bonaventura: *in Calice propinante nectar Divinum* Marianâ svavitate delibutum. Ex hac jam

Spirituali Divinitatis esca: Aquinatem, *Æternæ Convivam & Commensalem Sapientiæ*, quis non definiat? quis non decernat. Bene THOMÆ Symbolico alluditis, non illuditis cachinno: ad Naturalis Scientiæ tragemata Bosculum dicitis! ut *Æternæ Sapientiæ Convivam* probaretis. THOMAM Logicas inter spinas laboriosum Bovem asseritis? ut *ad Currum Gloriæ D E I*, non imparem jungeretis. Dicite jam non profano Spiritûs entheati vaticinio T H O-M A M Bosculum! cui dum *Mystica magnarum alarum* se associat *Aquila*, eodem in appellativo, *Æternæ Convivam Sapientiæ* declarabitis. THOMAM debilem exsibilate Bosculum! Magnanimum *Leo de Tribu Iuda* huic se adjungens Quadrigæ, identico nomine *Æternæ Convivam Sapientiæ* vindicabit. Esto iam THOMAS Bosculus: hoc ipso, *Æternæ Conviva Sapientiæ* necesse audiat; qui dum innocuus *Immaculatum* sequitur *Agnum*, *pascitur inter lilia*, *Librumq́ solvit* nulli olim concessum

Myste-

Myſteriorum. Solem *Thomiſtico* appoſitum, & appenſum intueor *Pectori*: & *in Sole Iuſtitiæ* horoſcopantem THOMAM; in *Thomiſticis* amorum ardobibus, *Meridionantem* dum admiror *Solem!* ex hac intima unione, & communione Amorum, *Aquinatem Æternæ Convivam Sapientiæ* non indirectè infero, & concludo. Nec jucundiſſimi *Huic Convivæ* deſunt ſales: qui *Sal Terræ* dici meruerat. Gratiſſimos quiſq; lepores venaberis; qui THOMAM ſive domeſticas inter martes, non leporem; ſive Præliares inter Aquilas, non trochylum; ſive illecebroſas inter Cleopatras, non Antonium; ſive Capuanas inter pellices, non Annibalem demiraberis. Quid luges Mater? ſuæ perditiſſimum voluntatis mancipium! cùm THOMAS minas, inediam, furores rideat; nunquàmq; liberiùs dementes caſtiget affectus: nunquàm acutiùs venenoſos retundat cachinnos: nunquàm acuminoſiùs ſardonios plectat riſus: quàm ad ferreas compedes nec vinctus, nec vi-

ctus Gallicanus; ad Circæa voluptatis sympoſia, bene ſibi providus, & proviſus Laërtiades. Furunt impotenter Gemina Martis Brachia *Landulphus & Arnoldus!* *THOMAS* Ironiam agit; Ferreos Heroes & Hectores celebrat: quos ignominioſa ſui captivitas minùs probâſſet; violenta arietantium motuũ copia penitùs diſcommendâſſet. Chalibeas attollunt criſtas: THOMAS demiſſo ſupercilio triumphavit. Libertatis digno præconio commendant privilegia: THOMAS præſentiſſimam vinculorum felicitatem, ſupra omnem Fortunæ gradum elevavit. Tumidos, ſuperbiæ Genij induerunt vultus: *Aquinas* Pavonem imitari voluit; ad veſtigia, gradumq; meriti, arrogantem oculum reflectendo. THOMAS ut faſtuoſos mitiùs agere docuiſſet Leones: ſe prædam *Agno Innocuo* perſimillimam fudit, & ſtravit demiſſiùs; nec ex ungve tantummodò, quô ſe atrociùs affici & lædi faſſus; verùm è ſuarum paſſionum victoria, fore & eſſe magnanimos

mos

mos declaravit. Quid luges Mater? sereniorem animi indue scenam! THOMAS armatam Fratrum aciem inermis palmariter vicit, & triumphavit; Minimus, Majores natu superavit. Plaude Theodora! consummatior THOMA nemo audit Salomon! quia nemo digniùs, nemo honestiùs, illusit sæculo, vanitati obstitit, illecebris recalcitravit. Mæsta Parens tantisper indulge genio! cùm THOMAS nova Doctrinæ ænigmata inveteratis malorum pandit; vicissimq; Gnomas solvit suo Gordio implicatas. Miraculum miraculorum inter viventes maximum, sibi demonstrari expetit! quod dùm à cæteris in nucleo nequaquàm tangi potuit, ostendit: *lethali affectos culpâ, vel in risum effundi, vel quâpiam gestire lætitiâ posse, inauditum esse prodigium, & miraculum.* Quærit argutâ sollicitudine, quid in rebus mutationi subjectis, magis ruinæ & calamitati obnoxium? & arcanum enodat: *dùm virum, dùm hominem, absq; demissione animi,*

 mi,

mi, absq; puritate mentis, absq; candore, & realitate facti, Religiosum, Perfectum, & Sanctum, acervo lapidum, nullâ cæmenti connexo vi & unione, symbolicè confert, comparat dogmaticè. Benè est Theodora! THOMAS Sorori adhæret familiariùs: ejusq; propositis mirè admodùm oblectatur. Laborat ingenio, sudat præcordijs, ut non minùs alloquijs poscentis, quàm Verbo, doctrinâ planâ, & sanâ correspondeat, satisfaciat Incarnato. Quid quæris dilecta jam cælitum Charis? gravissimum omnium Artium percontaris studium? dicet absq; Allegoria THOMAS; explanabit, absq; ambagibus: *Benè scire mori!* in quo ut audias secura & celebris: *Benè vivere commendabit.* Paradisi felicitatem ex *hoc Custode Angelo*, Tibi exul explicari contendis? dicet, ut capias; docebit, ut appetas; promet, ut Te ejusdem exprimas candidatam; *nisi Paradisum merueris: non facilè intellexeris.* Devota morti, & addicta mancipia, in agone luctâq; vitæ, quô

tandem triumphare possitis! THOMAS quæsitus, ingeret; *Aquinas* petitus, referet; *Æternæ Conviva Sapientiæ* condet & condiet media, ad animi voluptatem; *si omnium, quæ patratis, rationem reddere possitis*; ad calculum vocabimini: sed præmio di-gnandi; ad metam ad terminum trahemini: sed gloriâ coronandi; ad ultimum exitum & exiliũ urgebimini: sed Patriam, sed Hæreditatem Sanctam salutaturi. Verè *Æternæ Conviva Sapientiæ THOMAS!* cujus alloquio Florentina, Tridentina, Lugdunensia Concilia regi exoptabant; Ecclesiæ, Fidelibus, Orbi Christiano, hilaria institui expetebant. Verè *Æternæ Conviva Sapientiæ THOMAS!* qui quidquid protulit: Sanctum, Divinum, ratum, & gratum credebatur; ac si *Os Domini loqueretur*. Verè *THOMAS Æternæ Conviva Sapientiæ!* cui Sanctissimorum Ecclesiæ Principum & Hierarcharum corda & animi, in Innocentio, Urbano, Ioanne, Pio, & felicissimis auspicijs Regnante & Imperante Benedi-

nedicto, plenissimoq; succedentium in syllabo, successurorum in comitatu, sera usq; in tempora adhæserunt, adhærebuntq;; cæterosq; Ejusdem niti consilijs, insistere Dogmatibus, Doctrinâ regi, & scientiâ: quam soli parem, nullis affectam tenebris; limpidissimo simillimam Fonti, nullâ vitiatam uligine; quam ipsi *Æternæ* conformem *Sapientiæ*, nec falli unquàm nec fallere possibilem declarârunt; votum est perenne, & desiderium. Sic *Aquinas*, ut se *Convivam Æternæ Sapientiæ* manifesto probâsset argumento, Sacratissimo Prædicatorum Ordini, eandem esse Domesticam consummatissimis laborum, pietatis, intimæ cum DEO unionis studijs, meruit de condigno, obtinuitq;. Auditis *Religiosissimi Patres* vestro in *THOMA Æternæ Sapientiæ Convivæ*; Quibus se hæc præstitit collactaneam; Vos eidem coæternos! scilicet: æternitate Gloriæ, perennitate Nominis, immortaliter utroq; in Orbe conversaturi. Laus Vestra, summumq; esto encomi-

um!

um! infinita Meritorum Veſtrorum Prædicata, inſtanti attingi labore non poſſe; Dicentis abſolvi periodo non valere. Laus Veſtra, & encomium his ſatis probata, & celebrata audient: dũ cordibus, eloquio, Univerſæ Eccleſiæ oraculis, Sancti in Sanctiſſimis; Eminentes in Eminentiſſimis; Sapientes in Sapientiſſimis; Eruditi in Eruditiſſimis: Religioſi in Religioſiſſimis; pleniſq; æſtimationis Titulis, abſq; periodo & puncto, in THOMA, & cum THOMA, celebrabimini.

PANEGYRICUS
Diviniſſimi THOMÆ Aquinatis Angelici Eccleſiæ Doctoris dictus immediatè poſt Bacchanalia.



Egneſcit Orbis: aut dierum obrutus centipondio; aut attritarum virium fractus laſſitudine; aut depontano gravatus ſenio;

vigiles in universale bonum Superi, excitate stertentem! ægrè decumbentem erigite! & ad planiorem gloriæ cursum, jam ad extrema, viarum abactum ambagibus, intricatum anfractibus, divisum periculis, absorptum voraginibus, impenso juvate conamine. Segnescit Orbis: quid in adhibendis stimulis, ad vindictam non properi, ad pænas & supplicia tardi lentescitis Cælites? ubi in vitæ curriculo, voluntario toties quoties offendit & cespitat pedemate! currit, & relabitur; celerat, & fatiscit; festinat, & succumbit; properat, & in diversorio notæ universis calamitatis, Fortunæ lenocinijs, apparentium Bonorum cupedijs, leporum salibus, verborum thymis, blandis oculorum solibus, genarum pigmento, frontis iridibus, votorum illicijs, à benè cæptis callibus corripitur, abigitur, refrænatur. Segnescit Orbis: quid in otio stertere, in voluptatibus hærere, in malorum uligine sistere, Divi conceditis Genij? postquàm

Attali-

Attalicis ablactatus dapibus, auro fusis Vitellij inescatus panibus reficitur, ut deficiat; saginatur, ut tepescat; crepundiosis innutritur analectis, ut instructæ, reficiendis olim Convivis *in suprema Regione Cænæ* minùs meminerit, minimè desideret, præsentium helluo insatiabilis. Segnescit Orbis, falso delirans sensu & appetitu: ubi desideriorum ingluviem ampliat, non restringit: jam fabis Ægyptijs, jam nucibus Ponticis, jam glandibus Ibericis, jam Pelorinis concharum speciebus, jam murænarum lactibus, jam phasianorum cerebellis, jam scaurorum jecinoribus, jam lingvis phænicopterûm, jam attagenibus Ionicis, jam gallinis Numidicis, jam pavonibus Samicis, jam damis Ambracijs, jam scaris Cilicum, jam salmonibus Aquitaniæ, jam rhombis Adriaticis, heu! quanta luxuriantis sæculi vesania! amplissimas in ijsdem abligurire ditiones! & tantarũ cædium mortibus intestinam nonnisi consciscere mortem, & apparare. Segnescit

Orbis: Divinæ Iuſtitiæ Miniſtri, & Arbi-
tri quid permittitis? in vitibus vitioſus, in
in maſſico immanis, in muſto caleſcens
& callidus, in pathera naufragus, in Thyr-
ſi hedera lethalis, in pampinis vinolen-
tus, & violentus ad deterrima. Segneſcit
Orbis: lenes ad injuriam attonate Cæli!
inter choreas mollis, inter orgia odioſus,
inter Lupercales ferox, inter Feſcenninos
fædus, inter Olympicos, ſtigi victima, Cer-
bero præda, Gorgonibus ſpolium, dra-
conibus offa, Proſerpinæ iuvencus ad ma-
cellum ducitur ſempiternum. Segneſcit
Orbis: damna ſupremi reſtaurate Princi-
pes! inter plectra Amphionis plectẽdꝰ; inter
ſiſtra Melpomenes ſuffocandus; muſicas in-
ter tybias opprimendus; inter doloſa Syrenũ
modulamina, monſtrorum comminuendus
faucibus; inter ſvaviſſima luſciniarum cho-
ragia, avernalium milvorum uncis, ro-
ſtris, ungvibus dirimendus. Segneſcit Or-
bis: oculatiſſimos in teſtimonium Plane-
tas invoco! vident aſtra dementem Uni-

verſi

versi rationem: & lugent; vident sydera afflictam rerum vicissitudinem: & plorant; vident tot, tantorumq; facinorum absurda: & effuso dolore comitantur. Immortales vilescunt adoreæ, stellatæ minùs æstimantur Cydares, non carie, nõ vetustate faciliter atterenda, despiciuntur Augustalia; digna insuper suo labore præmia reprobantur. Iam Cælestes Agonothetæ, quæsitas desiderijs coronas in metam designant Viatori: & lentescimus; jam destinata ultrò proponunt munera: & despicimus; jam triumphales attollunt portas: & resilimus; jam pansis ostijs, viscerosis officijs, invitant Terrigenas: & miseri deflectimus errones, nostræ nonnisi appetentiæ obsecuturi. Currimus, & vota infami prævolamus vestigio, quò Fata vocant; ruimus, nunquàm in lubrico detinendi passu, quò maligna impellunt suspiria; cadimus, quò aggesta vanitatum sarcina gravat, flectit, deprimit, oneratos. Si jam saltem infausto plurimorum exitu, à cæpto deterreremur

exitu!

exitu! si saltem inopino multorum termino ad sphæram, ad orbitam rectitudinis, dilapsæ per invia spes revocari vellent! quibus in palmare flagitij trophæum, è mortuali cinere compilatur, & componitur obeliscus; in colossum abolendæ pravitatis, exesâ compage ossium aggregatur sarcophagus; pro tænijs, mortuales institæ altos infrænant, & catenant cogitatus; pro bysso & purpura, pro violis & pallio, inermes cadaverum exuvias, natus ex ilijs cooperit bombyx; pro mytris & corona, Augustum Caput, intra urnarum angustias, excavatum indicat, & serenat cranium; omnem insuper amphitheatralis scenæ lucem, umbra claudit cineralis; triumphales Semideorum flammas, favilla premit, caligo torret, suarum cupiditatū fomitibus insepulta. An viam ignoramus gyrovagi? quòd æternam quæsituri Patriam, in domum relabamur calamitatis; an sub lumine rationis cæcutimus talpæ? quòd ad lapidem allidimur offensionis; an

sum-

ſumma conſcendere deſperamus culmina? quòd in infimo miſeriarum ſtatu hæreamus; an infra beatam nos eſſe arbitramur ſortem? dùm fato agimur ad damna propria irreflexi. Huc ora, huc oculos concedite Auditores: nec caſſus ſalutari in opere elucebit labor; nec vacua poſt ſudores requies; non inanis poſt æſtus & turbines malacia; nihil admixta Plejadibus poſt fluctus, & luctus temperies apparebit. Huc aures, huc judicij impendite libram! & inter Aquinaticæ gloriæ atria, in faſcijs *Magnanimum & Clarum*; in Adoleſcentia *Fortiſſimum & Impaſſibilem*; in omni viæ, vitæ ſtudio & ſtadio, ſuâ beatitudine THOMAM *Comprehenſorem Glorioſum & Immortalem*; tot Laurearum decoribus Inclytum, tot Beatæ Patriæ refulgentem favoribus, integro coronatum Cælo, ſubmiſſiſſimo dictionis flexu, reverentiſſimo Eloquentiæ ambitu, altiſſimo Imperiorum & Gentium cultu, Humaniſſimi ſalutate, & adorate Auditores! in laudes

des Doctoris Doctorum, affectissimi; in tributaria elogia Scientiarum Regi, devotissimi; pendendis Ejusdem in honoribus, exactissimi; assensu, in prætensæ fidem veritatis faciles; dignatione conspicui; attentione benevoli; hæc inter Oratoria Rostra, absq; Tullianæ svadæ ostro, ob facundiæ inelegantiam, pallenti, & paventi; ob vilem Panegyricæ gazæ apparatum erubescenti; ob insolidam argumentorum cohærentiam, totâ mente, & artubus contremiscenti; aspectu comi, vultu affabili, innato Gratiarum collegio, favorum universitate, ad fulciendum proni: ad animandum intimi: in omni munere, in omni patronatûs officio annuito gratiosi, adeste faventissimi.

In herba florem, in flore fructum, in aurora solem, in ortu meridiem, vidit nemo; in via terminum, in agone coronam, in prælio trophæum attigit; & retulit nullus; edecumanis sudoribus non consummatus. Nemo victor palmari celebrandus

acro-

acroamate, extra prælium; & niſi Martijs toſtus flammet ignibus: niſi bellatorum peruſtus ſcintillet fulminibus: nullam ignavâ fronte referet adoream, quia nullam implantans laurum, ſibi frondeſcere fecit ad immortalitatem. Vidiſſet Orbis ſuperba Capitolij per atria, longo honoratos ordine, ſtrenuos ejusmodi Ferrerios: quos nec umbo preſſerat, nec armilla triverat, nec mucro ferreus; nec thorax ſquammeus animum probaverat non cerealem. Æſtimâſſet ad libram publicæ vocatos exiſtimationis Aurelios: quos nulla in lydio virtus appretiaverat. Quot jam aris, Divorumq; Pantheis, ſcelerator intumuiſſet Orbis! & ſuâ opinione major, Divinæ inſultâſſet apotheoſi! ſi tot ſanctos, quot Sanctios; tot innocentes, quot Innocentios; tot virtutum ſoles, quot Fulgentios; tot probitate conſpicuos, quot Auguſtos; tot nullâ calamitate vincendos, & victos celebrâſſet: quot ipſo faſtuoſos nomine, magnanimos Leones produxiſſet.

Iam Annibales, extra Alpes; jam Achilles, extra Pergama; præſtigiatrix numerâſſet Græcia! Alexandros Macedonia, Atlantes Mauritania, Xerxes Perſia, Latium Coclites, Roma Scævolas, Aventinum Fabios, Capitolium erexiſſet Marios; ſanè innumeros! ſane nullâ limitandos diſcretione! nullâ definiendos quantitate! Ijſq: centuriatas laudum victimas, immortales honores, vaniſſimâ inſtruxiſſet religione, turpi adorâſſet ſuperſtitione; quos nullum documentum laboris, extra communem mortalium ſortem fecerat Candidatos. Atlantem colimus: quem fixa lacertis Cæli machina approbavit; ſtellatuſq; meritorum apparatus, venerabundum illexit ſpectatorem. Reveremur immortali ſatum nomine: vix Alcmenæ concedendum fæcunditati; communi exiſtimatione magnũ, exemplo majorem, virtute probatiſſimâ Alcidam maximum; quem monſtrorum lucta, caſſa Saturniæ odia, edomita Pluti poteſtas, in fide evicit non minorem. Ce-

lebra-

lebramus domitorem Phrygis: quem per ſalebras æquoris, medias inter ſcyllas non demerſus labor, inter charybdes non naufragus animus, in littore ſtitit Palinurum: ſuperata poſt pericula, grato omnium celeuſmate coronatum. In meta, in termino, impulſum arcu triumphat miſſile; grave niſi ad centrum venerit: amicæ exſors quietis reputabitur. Nemo victor: niſi qui lectam, toties manu preſſerit palmam. Obtento munere, plantam in agones perurget nemo: in via, aut in quæſitæ gloriæ curſu, quis ſtetit? intra votorum beatitudinem Comprehenſor. Par quippe cuivis virtuti, & conamini impendenda ratio: certo veniunt nonniſi ſub tempore flores; auguſtos poſt ſoles, latepatenter per gargara, grata jocatur humus; pronâq; in ſales ludit ariſtâ, meſſis fructuum expectata; quos niſi tardo aſtrorum recurſu, redituros ſpectet, & expectet colonus: laborem reddet inanem, deſideria vacua, ſpes caſſas, & celeri ope infelices. To-

lerandæ in tædio hyemes: ut lenes gratiarum Æthesias suprema inhalet regio; æquinoctialis luctæ exsuperandæ antiperistases: ut plenior radijs illucescat dies; Calendum sub syrio: ut molliùs sub Hespero Favonijs perfruaris. Bellandum, non ad unius extinctionem periculi : præliandum, non ad sudoris humectationem tantummodò: agendum, strenuoq; connitendum labore, ad ultimæ exantlationem potentiæ: diu currendum in stadio : luctandum in certamine: durum toties, quoties allidendũ in cespitem : ut trophæa erigat, serta dedicet, fastigia offerat, theatra præbeat, solia communicet, Augustalia referet, quietem post fatigia; pacem post fastidia; Alcyonia post tempestates; ambrosiam post absynthia; tinctos rubicone murices, post tabum & cruorem; laureatam vitam, superatas post mortes; Annis & sæculis definita expectatio indulgeat, impendat Viatoribus. Tardiùs nimirùm reflorescunt adoreæ: non inter ignavas salices perquirendæ;

dæ;* centifoliata frondeſcunt Auroræ decora: dumoſo acumine circumſepta; coaleſcit gemma é Cæli concepta rore: teſtis obſerata, & intercluſa; naſcitur adamas: in alto latrantibus ſcyllis communitus. Longo nimis, nec decennalis intercapedine motûs definito, Elephantes magnorum mentes laborant puerperio: ut fructum referant, præmium doloris vendicent, votis exantlatiſq; conatibus non difformes. Auguſtus eſſe poteris? ſed in ſolio; Coronatus? ſed in diademate; purpurarum fæcundus oſtro? ſed in trabea; non anxius? ſed in meta; non dubius? ſed in termino; tranquillus? ſed ad oleam; ſecurus? ſed ad clavum; beatus? ſed in patria, ab omni ſacrilegio exemptus felicitatis. Et hic eſt continuus, aut ſucceſſivi motûs ordo: aut faſtidioſa, in olympijs gloriæ ſegneſcentium mortalium proſperitas: in ſtadio poſſe felicem ſuſpici: in via fortunatum dici: in curſu optari ſecundum: non ſuſcipi, non accenſeri, non adverti, intra Capitolinos

Statores aggregatum. Sed quorsùm hæc supererogatorio evinco argumento! quorsum lubrico decurro calamo! & dùm aliorum incuso calamitatem; meo periculo nocentior, damno deterior, delicto infelicior aggravabor. Quorsùm hæc! dum alienis discurro periodis: à proposito deflecto, & relabor Orator; a termino deficio Adorator. Enimverò humanum vitium est: non *Aquinaticum*; commune fatum: non *Thomisticum*; mortale exitium: non *Angelicum*; longo interruptim luctari conamine; dispari votorum arceri intervallo; à concepto impediri objecto; ab optato retrahi, & retundi termino; *Thomisticum*, *Aquinaticum*, *Angelicum* (nam quidquid dixeris? quidquid conceperis? intimum THOMÆ prædicatum;) ut in vita beatum! in opere sanctissimum! in facto immortalem! in *via Comprehensorem* recognoscat necesse! recognitum laudet! mille laudatum panegyribus adoret in infinitum Orbis Christianus. Creditis, non diffite-

fiteor: natum olim THOMAM, umbrâ ſui tantummodò indulſiſſe, & impreſſiſſe Univerſo? integrum ſe verò, quò ad principales compoſiti partes: transfudiſſe Cælo, & obtuliſſe. Tener quippe *Puſio*, intra faſciarum ſtringebatur panniculos: mensſumma petebat; illucq; ſine greſſu, non tamen abſq; gradu meriti contendere videbatur: ubi animus ad ſublimia natus, activiſſimâ propenſione converſabatur. In dubium quis vocet? Aquinatem jam tunc ſuſpici & notari *Comprehenſorem!* ubi vix eſſe *Viatorem*, naturæ repagulis abſoluta indulſit exiſtentia! nihilominùs prima *Dos Glorioſi Corporis*, fidem, & veritatem evincet *Claritas*; & lucis tantæ ſidere, ad infantis cunas nos ſiſtet, & ducet adoratum. Suſpicitis Auguſtas Aquinatum Ceras, paſſim in Genitorum ardere tabernaculis! & ab ijſdem recentiſſimo Nepoti & Hæredi, *Lumen* infundi *Gloriæ* animadvertite. Diſcernitis Primos in Oriente Soles: in Meridie Planetas: in Occidente, non minora

ſuâ

ſuâ luce Sydera: ad *Thomiſtici* ſerenitatem *Nominis*, inextincto fulgere & eminere aſtro! & ſuſpectæ, viſæq; *in THOMA Claritatis*, diffuſivam originem arbitremini. Cernitis in *Aquinatum Zodiaco*, jam ſtrenuos ad Clavam Martes: jam uniformes ad Aſtreæ libram, Numas, Pompilios: jam ad enervandos Minoentis tauros, ſagaciores Theſeos: jam ad detondendum Phrygis arietem, virtute, & clarâ illuſtres geneſi Iaſones: jam ad votorum unionem, Lædeos Geminos: jam ad deterrenda monſtra, ad interficiendos hoſtium leones, Alcidas magnanimos: jam Gnoſſias Regum, Imperatorum aptatas ſangvini, & connubio: jam Iovis addictas thalamis Cynthias, Galatheas, Rutilias, Clelias, Pandoras, Cornelias, in Patrio ſuſpicitis radiare Cælo: & ducta olim *Aquinaticâ* Ducũ è Propagine Lumina, novo ad pleniluniũ gloriæ transfuſa Succeſſori autumate. Sed parcite tantorum æſtimatores ſplendorum; eorũ exploratores ſignorum parcite Aſtronomi; à quibus

bus non minùs lucis, quàm umbræ; fulgoris, quàm tempestatis; non minùs serenitatis, quàm Cimmeriarum in sublunares diffunditur Hæredes! tantùmq; Ijsdem indulgetur splendoris: quantùm sufficiat: aut ut læsam ad claregerenda hebetet potentiam! aut ad congenitas tenebras inclytissimam detorqueat indolem! aut Æthiopes efficiat animos! ipsius plerumq; Eminentiæ beneficio, ad atrorem gloriæ damnatos, & fuliginem. Sic multis ad gloriam illustris obstitit nativitas; & augustus cunarum situs, plerosq; abegit in angustias; pellexit in thermopylas iniquitatis. Satìs habent ignavæ mentes, Aboriginum tumere olympijs: dùm remisso meritorum gradu luctantur inter isthmia; satis nutrimenti reputant, Iunonijs exsaginari mamillis: dùm nulla supervicturæ in nepotibus famæ condiunt bellaria; satìs habent Patrio nitere murice: dum erubescenda nonnisi agant, & maturent facinora; satìs habent celebres Ge-

nitorum factis spectare fasces: dum fasciatam maturiore in ævo, ad omne honestum & utile præsentant, & gerunt voluntatem. Vilis profectò splendor: quem suus in maximis non accendit ardor; abjecta Majestas & Celsitudo, quam excelsa non levat mens; infame nomen: quod sine merito anonymus, absq; virtute ignotus, bajulat, sustinet degener filius, & abortivus. Hinc alia *THOMAM* reddit beatum *Claritas*: Cui minùs semper paternus, & avitus honor luce arrisit sæculari. Maluit tenerior hic Ganymedes, *Soli Iustitiæ* intimiùs se credere, & addicere; quàm inter Majorum phænomena radiare. Primos, quos mollior cera conceperat igniculos, ità semper inflammâsse visus! ut in centrum Æternitatis, ubi *Ignis Consumens est*; nonnisi tenderet! & in idipsum teneriùs exardesceret. Memini hâc *Claritate & Luce* maternis erumpente præcordiis, remotissima quæq; succendi asceteria! & in Prophetas, palustres

ſtres deſerti Accolas animari. Eliam veniſſe arbitrareris! qui in THOMAM præcipuo exarſit amore, & expectatione. Memini hâc *Claritate & Luce*, ex umbroſa ſolitudinis regione, religioſiſſimum ad cultus naſcituri Infantis duci & evocari Magum! & è promicantibus, ſub nube mortalitatis latentis, radijs, Dominicanæ Gloriæ Tropico, *Luminare Majus* præſagiri exoriendum. Memini bullatum Phàétontem, meliore eventu pro cælo, explicâſſe pagellam! pro aſtris, *Pulchram ut Lunam, ſeptenis radioſam ſtellis*, ad cordis uſq; viciniam admiſiſſe. Ità Divæ Mentes, non communem amant cum cæteris ſpirare auram: dum THOMAS omnium Ætheſiarum Principem, cum primo vitæ ſpiraculo, hauſit medullatim. Ità illibatæ animæ, interruptim clarere geſtiunt: ubi *Aquinas* in *Electa ut Sole* renidet eminentiſſimè. Clareſcit THOMAS integro cælo! dum in Empyreum efformatur; ſtellatis par ſedibus, in pectore præbuit ſolium:

 quan-

quandoquidem *Beatarum Intelligentiarum Reginam*, unà cum *Specioso præ filijs hominum*, meruit obtinere. Ex hâc *clara Dei visione, Aquinas clarus*; ex hâc intima unione, *THOMAS Comprehensor in via* celebratur. Ergone Hic trito viarum incedet veſtigio? quem tanta Nomina, ſacro impreſſa codicillo, ad culmen gloriæ comitantur. Ergone vili vectus arundine, paternos infans obequitabit lucos? decurret angulos? quem *Columna Cæli* in Virum erexit, & formavit perfectiſſimum. Ergone ſolitarius tanquàm paſſer, ſpe caſsâ & evanidâ, vicina per tecta nidificabit THOMAS? quem magnarum alarum Aquila, ad Solem exporrexit ſereniſſimum. Ergone crepundioſus Puſio, objecta ibit, & ſenſim ſine ſenſu trahetur poſt inania? qui univerſæ Gratiæ complexus gazam, diteſcit in omnibus ſecundiſſimus. Ergone exporrectâ aure, vana captabit modulamina? cui ſvave perſonat in animo melos, *Organum Spiritûs Diviniſſimi*. Ergone tremulam

lam in ludos ducet & aptabit tibiam? cui ad currendum vias Domini, & animum & coxam, *Medicina vitæ* consolidavit. Mobiles nimiùm, quos lyrica testudo commovet; vel svaviter sonans emortui arietis, à propositis retrahit, ac divellit filum! plena verò authoritate pectora, nec fortiori adversantis Fortunæ in metaphoram, & metamorphosim possunt abigi ariete, & permoveri. Nitet, & clarescit THOMAS, in immatura ætate, opere perfecto, & studio absolutissimus. Clarescit THOMAS, dum illimi intelligentiæ sereno, umbras profligat, tenebras damnat, caliginem exterminat, animo totius universi infestissimam. Nitet & clarescit THOMAS, ut Sol inter astra; Adamas inter gemmas; Empyreum inter Cælos. Nitet & clarescit THOMAS, inter innocentes innocentissimus; inter sanctos sanctissimus; inter Viatores Comprehensor beatissimus. Creditis hanc Beatorum qualitatem à primo vitæ exortu, ità enituisse

in THOMA! ut luce suâ stygias perstrinxerit noctuas; avernales in odia succenderit tenebriones, lamiosq; perennium umbrarum vespertiliones, Claritati suæ fecerit infensissimos. Attonate malignitate vestrâ aerij spiritus! sudissimam THOMÆ non permiscetis tranquillitatem; dolosis impetite tempestatibus! THOMAM Lucernam Agni non extingvitis; integro fulminate Orco! obatrate Erebo! Cæli lectissimam Pharon, DEI pupillam & oculum, (per quem Numen universis prospicit; cuncta salutaria providet; nocitura prævidet;) non intercipitis, non eliditis, non extingvitis, in mortalitate victurum immortaliter. Quot jam in THOMAM jurata Plutonis hostilitas, vibravit tela? ordinavit stratagemata? ut jam gloriæ amictum stolâ, jam candidissima ad trophæum palmaribus pro vexillis explicantem velamina, jam in Beatorum radiantem Cælo, dum in Dominici effulgentem astro, in via à beatitudinis termino divelleret,

 ab-

abſtraheret *Comprehenſorem*. Egit, quâ malignitatis induſtriâ! proceſſit, quâ ſpecierum capturâ! ſvaſit, quibus blanditiarum fallacijs! urſit, quibus præmiſſis & medijs, veterator doloſiſſimus. En Matris in THOMAM inſanit amor! en Theodoræ in *Aquinatem* delirat furor! furit Amor! blanditur furor! utrumq; violentus dolor ultra ſphæram honeſti proſilire facit, & erumpere. Quid doles Theodora? quod non amiſiſti; quid luges? quod non perdidiſti; quid ploras? quod nullo abactum fato crediditti. Filium efflictim doles! nihil egit dolendum; natum deploras! nihil patravit lugendum; lachrymis prolem caſtigas & torques! nihil planctu, nihil luctu dignum fecit; quibus in dolorem Parentes, in lachrymas Matrem ſollicitaret. Theodora Matrem Te eſſe memineris: quid ſævis tua in viſcera! quid infenſis amoribus, infeſtis odijs, lectam è millibus, Cæloq; dilectam perſtringis ſobolem! voti immemor, propoſiti obliviosa, ſuis conceptis

ceptis inconstantissima. Aras respice! quas frequens cum voto adijsti; Sacraria invise! quæ supplex accessisti; holocausta vide! quæ liberalis in metu cecidisti; impensam egentibus ad numerum, ad syllabum revoca stipem! quibus infantem THOMAM tuorum viscerum inclusum ergastulo, quibus temetipsam à lethi periculis, è mortis faucibus vindicâsti. Votorum memineris! quæ concepisti; recorderis fidejussorum! quæ totius Cælitum Curiæ authoritate, & testimonio solidâsti. Libens olim Authori vitæ, ne tandem morti cederet! cessisti THOMAM; quid datum in tua vota & usus revocas! sponte Superis obtulisti *Aquinatem*: quid gratam DEO contaminas hecathomben! meretur amores: quid odia concipis! exposcit Charites: quid diras evomis! *in libertatem filiorum DEI* contendit THOMAS: quid carceres, quid ergastula, quid *Angelo lucis* tenebras, Ducum sangvini haram, innocentiæ archetypo latronum spelæa, Paranympho Cæli catena-

tos

tos annulos destinas! decernis! demandas! & promptissimâ exequeris temeritate. Benè est Theodora! prematur THOMAS: ut cujus sit speciei? palàm innotescat. Torqueatur THOMAS: ut Cæli Genius hæc inter tormenta resplendescat. Succendatur THOMAS: ut tanquàm è fornace probatum aurum: tanquàm ex incude adamas: tanquàm è clybano unio: prodeat, & effulgeat, quà Cælo, quà Terræ, quà Erebo notissimus, acceptissimus, infestissimus. Cyprios admoves ignes; Idalias profundis salebras; voluptatis instruis casses; mortem minaris: ni jussis obsequatur; cruces spondes: ni idem cum Matre velit, & consentiat; flagella incitas: ni sponte in vota celeret; ejusq; juret in beneplacitum; enses, catastas vibras: ni obstinatum in propositis animum, in partes reflectat Theodoræ. Iam Asmodæorum infernales lænas; jam è consortio Plutonis Proserpinas; jam præstigiatricem Cybelen; jam veneficam & incantatricem Circen,

fatalissimi Promocondam philtri; jam sagam in infames amores Medeam; pollicitis urges, blandimentis incitas, spe lucri & questûs dementas, muneribus conducis, præmijs obarrhas, Phædra Hyppolyto ad interitum, suo Ity Progne infestissima. Quid proficis? vide! quem affligis? cerne! quem impugnas? recognosce! cui insidiaris? recogita! cujus nocumenta moliris & damna? explora. Fremis & detonas tempestuosa intempestivè Æolis: non movetur; leoninâ proscindis rabie: non dolet; amorum prostitutis afficis incendijs: non ardet; frigoribus castigas: non obrigescit; inediâ torques: non deficit; in Sicca premis Arce: non exarescit; lethum acceleras: non moritur, non occumbit. Quid de THOMA dicendum *Auditores*? quid de Aquinate non cogitandum sublimiter? quid sacrosanctè non sentiendum. Iam *Comprehensorem in via* Illius *Claritatis medio*, cognovimus Viatores; jam radiosam istius suspeximus apotheo-

theo-

theosim: Illius deniq; ex *impassibilitate*, inter homines, non Hominem; inter mortales, non Terrigenam; inter corruptibiles, integrum & incorruptum; inter promiscuos creaturarum sexus, Angelum, in vita Divum; in via *Comprehensorem* cogimur plenissimo cultu, inviolatâ fide colere, & adorare. En jam se Illius Gloria humanis ingerit obtutibus: quam aliter speculari licitum nemini, nisi sub umbra modestiæ constitutis. Vidit Deum! quia clarissimâ ejusdem cognitione, ad eam usq; devenit beatitudinem! quam nec in Divorum Patria, majorem quispiam potuit auspicari. En quæ, & quanta: ad Doctoralem THOMÆ Solem, *Matutina* effulget *Cognitio!* nulli unquam ab ævo, & sæculis, umbratili ingeniorum concessa universitati; quam dùm intensiùs expendo Orator: in diem tenebrarũ harũ accolis exarsit inocciduam. Quidquid in DEO arcanum latuit? accessit; quidquid mysteriorum incomprehensibilis abscondit Sapientia? concepit; quid-

quid Trinâ Divinitatis abſconditum Majeſtate? indicavit; *Subtilitate*, *Agilitate Glorioſi Corporis*, Intellectûs beati aſſecutus virtute perfectiſſimâ. Apprehendit Æterna: & omni clariùs ſole, veritatem illuſtravit thaumaturgus. Infinita attigit: & mortalis ingenij metas & limites prætergreſſus, prorsùs infinitâ de ijſdem diſſeruit Sapientiâ; quia non humanâ, non creatâ perfectione. Monſtravit in communi Divinitatis natura, ità determinatè Perſonas! ut *Patrem* loqueretur: quaſi *Verbum!* fæcundaret mentis conceptu *Verbum*: quaſi *Pater!* Spiraret *Amorem*: quaſi in Trino unicissimus. Quidquid Theologorum *Comprehenſor de DEO* ſanxit: *de Infinito* concluſit: *de Immenſo* definivit: *de Immortali*, Comortali aſſecutus operatione: præter Coronatum *Alexandri VII.* teſtimonium; præter ſanctiſſimam ejusdem commendationem; *Articuli in miracula*! *Quæſtiones in prodigia*! exemplo ceſſerunt non humano. En *Comprehenſori THOMÆ* ſumma *Inno-*

nocentij VI. applaudit Authoritas, *Hujus Doctrinam attollens, supra cæteras; verborum proprietates laudans, supra omnes; veritatē scientiarum* definiens, parem summis; æqualē Altissimis; quia ijsdem in nullo difformē; in nullo contrariā; in nullo defectivā. En in via *Comprehensorē THOMAM* publico ore *Tridentini Senatûs* declarant oracula: ubi indevium Viatoribus iter, Aquinatis prementibus vestigia, observantibus exempla, indicant & exporrigunt; eoq; scientiarum in gradu & stadio confirmant laudatissimè: *Inveniri prorsûs neminem, ut qui Thomisticæ Sapientiæ secutus paradoxa; aut à veritatis aberret tramite, aut à Gloriæ deficiat meta & termino, aut à puncto resiliat exclusus Beatitudinis.* Ex accidentali insuper *Comprehensorem THOMAM* decernetis Gloriâ: en tot honori, & apotheosi Illius dicatas Aras! quot Lycæa; tot sacratiores Basilicas! quot Academias; tot sacraria! quot Christianæ Palladi instructas, & institutas ædes; tot

universæ salutis asyla! quot Athenæa Orbis numerat Christianus. Vide Salmanticanas, Complutenses, Madritanas, Conimbricenses in Hispania Universitates: & immortalia *Thomisticæ Gloriæ* discerne monumenta. Vide inter Galliarum Floralia, laureata Palladiorum nomina, Tholosanam, Burdegalensem, Pictaviensem, Aurelianensem, Bituricensem, Andegavensem, Cadomensem, Lutetiensem Academias: & perpetua Aquinatici Nominis adora sanctuaria. Vide in Italia & Sicilia, Messanam, Panormitanam; Neapoli, Genuensem, Mediolanam, Parmensem, Bononiensem, Celeberrimas Scientiarum Colonias: & Thomisticæ Sapientiæ existima Tabernacula. Vide in Germania, Moguntinam, Coloniensem; in Belgio Duacensem, Dolensem, Lovaniensem; Pragensem, Ingolstadiensẽ in Bohemia; Dilingensem in Svevia; Græciensem in Styria; Olomucensem in Moravia; Tyrnaviensem in Hungaria; Herbipolensem & Bambergensem in

Franc-

Franconia; Cracovienſem, Poſnanienſem in Polonia; Viennenſem in Auſtria; & quò ſe tantùm Artium & Scientiarum humanarum, æquèq; Divinarum protendit, & exporrigit Regio: Publicæ Inſtitutionis ad ſyllabum revoca Muſæa & Palladia! & Aquinaticæ Gloriæ ſuſpice Pantheon, & recenſe; eâq; jam accidentali è Gloria; eâ Dogmatum & Oraculorum è reverentia, *Angelicum Doctorem THOMAM*, omnium felicitatum & beatitudinum *Comprehenſorem in Via*, ad oratoriæ dictionis periodum, ad intenti coronam & coronidem, ad votorum centrum, quilibet Authoritatis Veſtræ argumento, admitte, concede, & corona.

Laus & Encomium Diviniſſimi Nicolai Antiſtitis Myrenſis, à liberalitate tacitò impenſâ Orphanis.

DAmna impenſis legit è beneficijs: qui tinnitum, vanumq; gloriæ ſonum, num-

nummorum excitat crepitaculis; eoq; largiendorum è modulamine, garrulas tantummodò laudum suarum luscinias aucupatur. Quàm vile & vacuum hujusmodi tributi pretium, & pondus! quod aut levi concreditur auræ; aut aligero cum Numine, nummosis in alitibus, per dissitas regnorum oras, orbisq; longinquas plagas, facimus cum Euris & Zephyris avolare. Et nomen, & munus posteritati infamatum relinquis: ut nihil in lucrum, præter cachinnos; nihil in præmium, præter despectus; continuo sæculorum referas ex impendio! quoties jam ære, quoties ductilibus tubis, liberale facinus studueras decantari. Securior proculdubio ijs in manibus perennat Fortuna; nullum calamitatis atrorem candidiores bibunt gemmæ; valorem non vitiat aurum; metalla, continuo nata despectu non consumit, nec corrumpit ærugo; si largior eorum in erogandis dextera, palponem sinistram excluserit à consortio beneficij. Vis exilem mu-

muneris censum, aut charitatis in officia, aut amoris ad mnemosynum, aut pietatis ad monumentum, certâ nunquàm arctari, ac definiri quantitate impensum? ad lineam, ad syllabum nunquàm revoca claregesti. Vis vilissimam quantumvìs opis drachmam, egenorum injectam crumenæ, innumeris appretiari libris? factum deprimat nulla suiipsius æstimatio. Vis perpetuis hæres datum simul possidere, & acceptum? ad codices munus non referas retentorum. Vis immortale beneficium posthumis commendare nepotibus? eodem in præsenti refuge, contemne oblectari. Parit despectum frequentissima beneficij recordatio: & quòd gratanter elargiri debueras, continuâ illius laborans reminiscentiâ, coactè impendisti. Enimverò sponte quod ferre didicimus: præstat à facto, præstat à munere, etiam mentali præsentiâ fore alienos. Vix namq; tantorum munerum dici & credi potueris author! vix inter Mæcenates referendus,

 simu-

ſimulacra gloriæ immortaliter informare valebis! dùm aut magnificantibus opus buccis detrimentari: aut pleniore jactantiâ in pectorum ærarijs abſorbere, penitùsq; characteres gratiæ eradere & abolere videaris. Si jam univerſaliſſimo reanatomo atteſtante Plinio: *Principes, Regnorumq; Soles, beneficijs potiùs, quàm remedijs ſubjectorum experiuntur animos*; hinc jam nullius rei frequentiorem cenſerem nauſeam: nullius graviorem autumarem abominationem, quam ad ſenſum, ad memoriam revocatæ, olim ſalutaris beneficentiæ. Si è Cordubenſis oraculo: *meliùs beneficijs cuſtodiuntur Imperia, quàm armis; ſecuriùs civium animi ad coronatæ felicitatis pertrahuntur adorationem*; credite jam non armis tantummodò, non irrogatâ bellorum clade, ſubditorum exaſperari malaciam; quandam etiam in eoſdem beneficio exerceri tyrannidem, multorum exprobratione diſcimus; utpote frequentiùs in mente, frequentiſſimè

tiſſimè in clientum pectoribus refricato. Si Salluſtij ex aſſerto: *Maxima, eaq; inevitabilis Principum obligatio eſt: beneficia commodare plurimis, exemplo præeſſe omnibus*; vaniorem nunquàm, imò vaniſſimam explodendæ gloriæ, nunquàm incurres cenſuram, & notam! quàm dum munificum opus, corruptæ libertatis, & liberalitatis vitio, proprios in uſus, & peculium referre, retrahere, rehabere ex integro laboraveris; quod partim prementibus legum ſtatutis, partim communis boni urgente neceſſitate, in ſuæ adminiſtros gloriæ, profuſior olim in præmia Trajanus ſuperimpenderas. Si Nerembergiano judicio & fide: *Beneficia, eorumq; incrementa, quæ â Principe proficiſcentur Gratia, dies vitæ eidem protendunt & numerant*; certò certiùs præſentiſſimarum nonniſi novimus ſvaviſſimã oblectationem horarum: venturi nonniſi grande deſiderium ſæculi: dierum verò, menſium, annorum, exactæq; in compendio affectuum ætatis, nullam in animis ex-

tare voluptatem; nullum immortale in votis supereſſe deſiderium; æquè inſtantia oblectent, præſentia lactent, futura genium irritent beneficia, & quâdam voluntates pelliciant cupiditate; quæ verò avolâſſe cum tempore, ſive manantibus divulſa cum undis, ſive alieno complexu, à noſtri conſortio cernimus abſtracta & diſcreta munera; ex his ad æſtimationem pauxillum, ad amores minimum, ad commodum nihil, innovato repetēdi ſtudio, refricatâ gloriandi memoriâ lucraberis Gratianus. Lugent, & deplorant infame ejuſmodi donum! (cauſam doloris Sapientiſſimo indicante Iuglari:) ægrâ ferunt execrabundi clientes mente! (ſtatum diſplicentiæ explicante & affectionis:) *Multi perimimur beneficÿs, beamur pœnis.* Tormenta ſunt Beneficia: quæ diu ſuſpenſos tenent, & illaqueant beneficiatos; ſupplicia ſunt: quæ vulnera amoris & faſtidij innovant; lues peſtifera ſunt: quæ forti, ut mors, afficiunt, labefactant dilectione; eoq; ſemper magis

ſuper

ſuperſtitibus nocitura mortalibus! quò validiùs, maleſanâ jactantiæ aurâ, ad animos, ad viſcera delabantur obligatorum. Semen affectuum lectiſſimum è paleis, quodlibet liberaliter impenſum rectè dixeris, & ſenſeris datum: hinc illicò primitivam mutet neceſſe ſpeciem: nec à tuo ultrà habeat dependere beneplacito; dùm de non eſſe, ad eſſe: jus iſtius transfudiſti abſolutum. Turpe, ac informe facinus, hanc ſibi aliquomodò velle arrogari ſortem: quam ex animo ceſſiſti benemeritis. Lucem, quam ſemel orbi impendunt aſtra; nec à terræ repetunt, & avellunt officijs: nec præſtitũ, jactant & magnificant beneficium: è quo arrogantiæ faſtu, vel umbram ſpargerent, vel liberali officerent gratiæ, votis omnium, dignâq; æſtimatione coronandæ. Tacet ſuum ſplendorem adamas: quem totius univerſi conceſſit, & impendit decori; non Pactoli obryzum & ſabulum ſuo ſuperbit in pretio: quod egentiſſimis multorum queſtibus erogavit; non ſiderea uni-

onum genesis, quopiam amentiæ tumet delirio: quod sub fulminante Iove concemptos, & coalitos partus, ad unionem mythrarum & valorem, sinu suo sit elargita liberaliter. Imus, & judicij anchoram in primo fluctuantium opinionum defigimus gurgite; Imus, & è singulis opum creatarum expiscamur administris; quantumq; cuivis rependere teneamur gratitudinis, altissimo earum silentio edocemur. Iam frugibus infarcit horrea, adore imprægnat granaria, non sterili acervos ditat, & donat aristâ, suo æstuosa favore Ceres! nullam tamen sibi exdecimat partem; Iam innumerâ florum specie, sive algidam pulchriùs: sive decrepitam, & vetulo attonsam rigore tellurem commodiùs: quotannis laborat comere Chloris! nec sibi immortales pro munere necti exposcit adoreas. Quot jam uvas è folijs, fructus è frondibus, ministra viventium non domina tribuat & conferat Pomona! suos interim in usus & cultum, nec cassam exigit nucē,

&

& exoptat. Quot jam flumina & Oceanos, aut aurifluis diffundat venis; aut gemmeis rotet, & incitet guttis; aut cryſtallino ſplendore, ad univerſale commodum, torrentes urgeat ebullire Thethys! quot jam venatorias Actæonum in caſſes, è trivio obſequens Diana compellat involare prædas! quot ſydera inextincto lumine cogat radiare cælum! nihil tamen ſingulæ, aut ad gratitudinis mnemoſynum, aut ad uſuræ commodum, aut in amicitiæ arrham, aut ad beneficij fænora, diſpenſatrices à nobis exigunt, & extorquent cauſæ; nihil pro debito ſtatuunt, nihil in redemptionalem impendunt cenſum, neminem ad fæudum, ad vaſallatum obligant; nullum pudore exoculant, verecundiâ plectunt, inverecundâ impenſi reminiſcentiâ muneris; turpi liberalitatis jactantiâ, in animos, in præcordia, in memoriam, in voluntatem obligatorum & obæratorum, nunquàm carnifices, nunquam tortores. Dedecorùm illuſtre aliàs datorum nomen:

Exa-

Exactorum infamari moribus! beneficij ſpeciem, larvatâ lucri & commodi corrumpere prætenſione. Infamem ſemper tui Præconem agis: quoties in munere temetipſum declamâſti. Clareſces in donis longè pulchriùs: dum mentem, dùm manum à præſtitis retraxeris gloriosè. Stabis vaga inter, & ambulatoria Fortunæ munera ſolidiùs: dum animo & affectu, ſparſis à te præmijs tenaciùs non inhæſeris. Ius communicativum amittes nunquàm beneficij: dùm teſſeram obligati animi, in tabula memoriæ abraſeris, & deleveris. Caneſcet in omnium æſtimatione & votis, meritis vegetiſſima largitio: ſi propriæ laudis veneno & toxico, è medio æſtimationis publicæ non ſuſtuleris. Immortalitatem mereris facto? tempori temetipſum non impendas jactabundus. Pretium requiris claregeſti? nullo unquam in præmio, egentium conceſſo uſibus, lucrifacias. Communi aliàs exſibilantium murmure caſtigaberis negotiator? dùm Tui rationem

com-

commodi, ex indulto poſcentibus, prætendes beneficio. Velles in ſæculorum olympiades, ſucceſſu fortunatior olympico ire & properare athleta? impreſsa gratiæ non recole, nec obſerva veſtigia. Velles Capitolinis verticem palmaris inferre lacunaribus? expeditas, aliorum in obſequium, nummorum rotas, tuum non repete ad negotium. Velles æternitate integrâ munificos connumerari inter Ioves? ſupremam eorum liberalitatem, virtuoſo attinge habitu, exequere imitatione. Satìs habent Illa, fuſis agnoſci in attributis: ſatìs habent, ijſdem coli in præmijs; ſatìs habent, in datis univerſo innoteſcere munificentiſſimè: in verbo munus, in munere verbum ſimùl ſemelq; elargita. Sapite Principes! veſtra diu nec mente recoquere, nec maſticare, ac prælibare dona: nec labio ad ingluviem regeminare. Diſcite Principes! id unicè in ſummo collocari munus: quod proprio contemptum judicio, & deſpectum. Profuſiores in vota Veſpa-

 ſiani:

ſiani: largiores in deſideria Mæcenates: promptiores in poſtulata Antonini: perennare diſcite! ad menſuram, & quantitatem præmij, quà anteactas, quà inſtantaneos nolle unquàm conferre gratiarum annos, & revocare. Diſcite nullo veſtra merita premi ſilentio! inquinari tenebris! quæ luci non accenditis publicæ, temeri ejuſmodi in flammas Promethei. Diſcite diſertiùs declamari per exedras! facundiùs prædicari in roſtris! cani per barbyta ſvaviùs! ſiſtris perſonari dæliciosiùs! eam diſcite, ac intelligite gratiam! cui damnoſiùs proprio ore non obſtrepitis, non admodulamini. Diſcite eam mortalium dotem, viventium attolli ſupra regionem! & vel ex unico Myrenſis Antiſtitis facto, amuſſim nunquã interituræ gloriæ ſatìs abundè intelligite.

Magna Magni Præſulis ordiri elogia, ut perenne obſequij ſvadet ſtudium: ità ſecurior votorum diſſvadet obſervantia. Injuriam ſuis in encomijs non raró patiun-

tur

tur virtutes: imparem ſui ſortitæ elogiaſten; nam ſive ejuſmodi Pandoras altiſſimo elevaveris charactere? quæ laudum non merebantur volumina! ſive oratoriâ pennâ venerabundus in altum ſuſtuleris? quod meriti non exceſſerunt faſtigium! ſive Tulliano, inter gemmarum monilia revinxeris apparatu? quæ earum, dùm pretium univerſi ſuperant, ſuâ non auguſtior purpurâ! quæ nuptiali non venuſtior ſyrmate! quæ ſtolâ non amænior jucunditatis. Iviſſes non cunctabundo conamine, in vectigalem non ſegnis cultum, iviſſes calame! ſi aut multarum paraſangis gratiarum; aut longo perfectionis intervallo, gigas divò in opere Præſul, famularem adeò non anteijſſet propenſionem; ut ingenia ſuo in ſtylo & curſu, poſt ſe repere, non volare; candorem paginæ, in ſignum verecundiæ remonſtrativum, atrorem & fuliginem contrahere effeciſſet, æquè olim Viator, ac gloriæ Comprehenſor Beatiſſimus. Genus, Divoſq; NICOLAI Primates, præſentis ad

felicitatem laboris, longâ reinduci conabor ſerie? trabeas, mytras', ad humilioris apparatum ſvadæ, in avito genitorũ ſangvine piſcabor? utrumq; temeritatis indicium:utrumq;plurima audentis animi notoria ignorantia. Taceo auguſtos honores & faſces: ſolijs & ſceptris finitimos! Taceo eminentiſſimum inclytiſſimæ nobilitatis apparatum: cuivis ſereniſſimo affinem murici! Taceo magnorum Aboriginum Maximi Infantis cunas: quas pro roſis byſſo; pro lilieto, immortali Majorum candore; inſtravit Iuno: compſit Cybele: Lucina adaptavit. Taceo genethliaca Puſionis involucra & faſcias: cui in ijſdem ſupernæ Charites, univerſum Orbem, ad nexum, & fædera gloriæ obligârunt. Videre fuit ijs ipſis in panniculis, exactos ab ævo faſces, genuino deſcriptos, & annotatos offerri ſucceſſori, & præſentari. Videre fuit puerilibus in linteis: aut heroum baltheos; aut laticlavia Ducum, aut Coronatorum impreſſas tænias; quas ad no-

titiam

titiam, ad oblectamentum Iuvenis magnificentissimus prosapiarum genius, inter cunarum angustias collocavit. Taceo Patriam; nisi indigitâsse expediat; quantum ab Avitis Nicolai Ceris prodierit lucis! ut in lucernam gloriæ, tanti serenitate hæredis Lycia desierit fortunata. Taceo innumera ejusmodi beatitudinis decora: quæ dùm religiosior palliavit modestia; iisdem ex asse recensitis, Nicolaum, aut *Virum sui Nominis* negem: aut eorum è contemptu, communi mundanorum asserto & opinione, filium arguam & convincam prodigum; dictisq; interpellem. Tanto illustrioris splendori Genesis, quis, quantusq; accessit virtutum decor! nemo non vidit; nemo non audivit; nemo hâc ipsâ posthumâ ætate nostrâ non intellexit. Extingvi usq; inclytissimi sangvinis videbatur nitor: comptissimâ rarissimæ probitatis affulgente majestate! aut ità illius augeri intensionem crederes? ut summæ gradum excesserit perfectionis. Splenduit eâdem in-

ter coævos mysteriosè; Atticas inter umbras effulsit prodigiosè; Regna, Provincias, Patriam, mari dissita, remota & extermina Alpibus, inaccessa gyaris, horoscopante gloriâ visitavit ut oriens; profundissimâ doctrinæ luce, illuminavit ut Phosphorus; zelo, pietate gelidas etiam universi partes, ut meridionalis Phanes inflammavit. Testabitur amarior olim luctu, post extinctam Præsulis lucem, urbs Lyciæ Myra: quantum ingenuâ, Nicolai delibuta svavitate, conditissimis ejusdem sibi in moribus complacuerit; dum tantum sibi demeritura Patrem; Pontificibus obarraverit annulis; sacris revinxerit Mytris; Ecclesiæ Sponsum integerrimũ in Præsule decreverit gemmâ; ut suis ubiq; antestare vocis discerneret Antistitem; Episcopali Cathedrâ & fastigio, ad summum elevaverit. Testantur vivo animata monumenta cinere: quid in pietate sanctum! in modestia exemplare! in comitate affabile! in clementia justum! in justitia lene! in liberalita-

lita-

litate thaumaturgum, annotaverint. Nicolaus probitate dives; innocuâ conversatione morum Angelus; charitate proximi, numen quoddam venerabile. Testabitur ille ex Euclione pauper! (ut vices humanæ mutare solent;) ille è Cræso Irus! (ut luxurians inter abusus, prodigalium Fortuna castigare Potentes, & plectere novit;) ille è Pygmaleone deploratissimus Codrus, (ut excessus immoderatioris genij privare bonis, exuere censibus, prostituere factis didicit;) ad incitas & extrema redactus calamitatis! testabitur jam mancipanda orco, tandem omnibus absoluta periculis: è faucib9 extracta, & vindicata flagitij, terna Gratiarum Innocentia! & opi operæq; liberali, choreas gratitudinis instruet, ducetq; immortales. Intellexerat publicâ aurem auramq; reverberante famâ impium notati genitoris propositum, Lynx & Argus ad damna & pericula ovium Pastor; viderat domesticum & intestinũ succendi & exscintillari malum, ad consu-

men-

mendum intaminatarum Daphnidum florem; viderat adeò proximum diſcrimen & præcipitium, cæco labentis cupidine & impetu, ad deteriora parentis, verior ſano amore, & providentiâ Pater! vigilantiſſimus avertendarum ruinarum Præſes & Præſul! ut qui brevi abſumendas tempore, leniſſimo quantumvis conſumptas fato, efflictim doluerat opes! Divinarum tamen Gratiarum ærarium & gazam, in filiabus proſtitui: in virginibus expilari: in innocentibus turpiter decortari, nec quidpiam perditiſſimus gemuerit, ac doluerit. Viderat jam in proximo infelices Cleopatras, verecundiæ & innocentiæ exſpoliandas unione: & tanto latrocinio iter liberalitate impedire, ad impia aditum, ad nefanda acceſſum, ad ſceleſta viam, notoriorum paſſioni, congeſtis in acervum opibus obſtruere adnitebatur. Viderat jã brevì, impio cõſilio & auſu, gratioſiſſimas deflorandas Heſperides: ad limen & oſtium, mali incendiario excubante Dracone! & autumnum

miſe-

miſeriæ ſuorum favorum & favoniorum Aprili, ſtuduit in hac colonia, ſive Regione vivorum innovari. Tacitus tacitis tantummodo illuſtre conſilium credidit umbris; & opus palliari ambiens, intempeſtæ noctis uſus ſipario ad officium charitatis. Excutit humeris Pontificiam togam: ne muneris propalâſſet Datorem; ſacram reponit Mytram: ne palmare opus, ambitu ſuperbiſſet coronarum; pedem ſolvit, & emancipat talarijs: ut è veſtigio, non Præſul, non Antiſtes, ſed homo quiſpiam Divinæ Adminiſter voluntatis apparuiſſet. Obſervat curioſus latebras: num ſe ijs tuto concredere poſſit; ſpeculatur vias, intuetur convalles, platearum rimatur anfractus, decurrit ambages, ſecretiora expendit diffugia, quibus viæ ſuæ negotia feliciùs conſummaſſet. Prodijt è conclavi honoris æſtimationiſq; transfuga: palatij ludit excubias: vigilem ſancto in opere fallit famulatum: etiam ſe ipſum facti conſcium habere detrectâſſet: ſibi diffidens, æſtimatiſſi-

mi laboris seipsum timens prædonem, & expavescens processit cautè, cautiùs in omnes advertit affectus, cautissimè præsidium cordis, ad omnes ambitionis assultus, & impetus communivit. Adijt tugurium sibi noti hospitis, & per observatam fenestræ rimulam, tantùm impendit auri, quantum redimendo sontium animo, vindicandæ ab iniquitatis mancipatu Innocentiæ suffecisset in Domo & corde paterno libertarum. Repetit iter, & saxo instratæ viæ, quædam sui vestigia imprimi metuens, vel ab agili Divinæ Providentiæ ministerio, vel à præcipiti celeritate cursûs, sive à consummatissimâ facti modestia, Angelus vitâ! Angelus Divinæ voluntatis officio! Angelus moribus incarnatus volâsse crederetur. Dive quid agis præsul? exempla occulis? quibus plebem tuam docere teneris: probitati fascinum, virtuti prætendis pallia? quibus Christi excolere mandram, optimus Pastor obligaris. Quid agis? simulatorem execratus odisti: simulationem

imita-

imitaturus, Tuas in partes admiſiſti! ità eſt: aſt ſanctè, aſt innocuè, animo, dignitate, meritis incorruptis. Eja orphanorum Pater! Tutelare pupillarum numen! Innocentiæ vindex! pronæ ad ludicra, & lubrica, integritatis vindicator! recenſe factum, nullis non memorabile ſæculis! meriti explana viam, poſthumis imitandam nepotibus! indica opus, omnium acceptabile votis! lucem non compinge ſub modio, Lucerna ardentiſſima. Videant ſinguli in Patre Antiſtitem, in Antiſtite Patrem, in utroq; officio non hominem, in omni merito numen quoddam mortalium miſeriæ propitium & favorabile. Videant, quid in Epiſcopo ſanctum, in Paſtore providum, in ſponſo Eccleſiæ inviolatum, requirat Cælum! ſuprema exigat poteſtas! orbis precetur, & expectet univerſus! ut pietate lactent, zelo foveant, manſvetudine nutriant, clementiâ regant, vigilantiâ muniant, gregem ut non Mercenarij; Populum ut non latrones; ovile

ut non prædones; intaminatarum gynecæa mentium ut Hierarchæ; non corruptores, non adulteri, non nefarij. Videant vitæ perfectissimæ exemplar: & sancto intelligant ex opere; videant propensissimæ in proximum charitatis idæam: & è thaumaturgo discant officio, absolutissimam vivendi regulam, ex instituta beneficij ratione. Discant secretum, innocuo quod concepisti animo, tenacissimâ voluntate apprehendisti, celeberrimo actu expedivisti. Celebret inter aras Clerus, loquatur in omni foro Populus, adorent senes, laudent Iuvenes, dulci canant choragio virgines; pariq; ornamento suæ integritatis tutores, pudicitiæ fautores, verecundiæ Mecænates: continentiæ Tutelares, Innocentiæ Patronos, periclitantis opitulatores famæ, ijs ex indicijs, præterlabendis sæculis, similibus in viris unicè desiderare, appetere, adoptare. Videant, ut sequantur quod probum; imitentur quod perfectum: sciant & intelligant quod in Te de genu debeant

adora-

adorare. Non cessit votis, non acquievit precibus, non assensit rationibus; facti Deum speculatorem habere contentus, testē humanum oculum non optavit. Æternā concupiscens gloriam, temporalem venari & captare dedignatus. Soli uniq; intendens placere, multorum respectus declinavit. Felix liberalitas, quæ tanto in dispendio, nulla detrimenta patiatur. Fortunatum beneficium, quod sui pretium non amisit. Coronandum præmium, quod in suo datore, non viluit. Donum datumq; superis acceptabile, mortalibus æstimabile; quod ne in spolium affectatæ æstimationi cederet, mentis secretum communivit.

Panegyricus Divæ CATHARINÆ dictus Anno D. 1725. *ex Occasione Facti Thoruniensis, sub Schemate:* Patrona Primæ Causæ.

ADhucné litibus Augustæ fervent Curiæ

riæ ? adhuc contumaciſſimo obſtinatæ proterviæ jurgio, publica Regni permiſcetur malacia? adhucné incolliſi libertatis impetuntur Status? legum perturbatur ſecuritas; univerſaliſſima violatur immunitas; proſcinditur pietas; contaminatur probitas; infamatur zelus; improbatur æquitas; vitio, crimine, odio, Iuſtitia cum clementia; clementia cũ amore; Amor tot inter offenſas, & ſcelera, cum conniventia; ſtylo confoditur! infamibus proſcribitur literis! dilaniatur lingvis! inaſperatur folijs! ſarcaſticis mutilatur inciſis! fæcundo viperarum conceptu, non ſterili lacertarum genimine, ad ruinam, ad necem, ad interitum, Electorum DEI Paradiſus, Divorum Patria & contubernium, tot inter Fatorum funera, ſuperſtes? tot inter Iuſtitiæ Punitivæ cædes, incolumis? tot inter hoſtilitatis flammas, & incendia, non extincta? tot inter ingruentium procellarum impetus, incolliſa? tot inter hydrarum fauces, inconſumpta? tot inter invidas, & avidas ſangviſu-

gas,

gas, non exhausta? Totius Christianitatis Antemurale, publicæ Hostilitatis bustuarium Sarmatia, dùm mordetur! allatratur; dùm allatratur! assultu, morsu, rabie inquinatur fanetica. Adhucné maligno violenta sangvine! actu impia! habitudine scelesta! tentamentis maledicta! in cælum, in astra, in Iovem, extincto etiam cinere refervescit Pentapolis! Adhucné cælitibus ad injuriam? Soli Uniq; ad contemptum? Patriæ ad dispendium? mortalibus ad lethum? ab impote rationis phlægra, nunquam maturando eventu fatale (utinã in Authoris revolvendum caput!) recuditur telum? Ità est Auditores: fervent etiamnùm hodie (dolendum!) qui perpetuâ ignescent flammâ, inferni titiones! iras, bilem, virus, toxica, pleno in ruinam insontium evomunt viscere! qui æterno contabescent odio; pacatissimam Regnorum corrumpunt unionem! movent & exagitant tranquillitatem! ab omni in ævum requie, alieni. Lucem perstringunt Liber-

ta-

tatis? vitæ, & mortis mancipia; ſancita, æquè ſancta; Decreta incorrupta; punitivæ attributa Iuſtitiæ propè Divina; carpit abſq; ratione; lædit abſq; ſenſu; infamat abſq; nomine; infuſcat abſq; nitore, genus ſuo in opere maledictum. Ægrè patitur Bonos: quod ſummo invidet, non parcit optimo. Ijdem namq; graciliores myricas obruunt, & conterunt Auſtri; qui in platanos & taxos deſæviunt auſteriùs. Innumero diſtincta ſidera ordine, ad umbrarum damnant Regionem; qui obſcuriore obtutu, Principis Planetarum contaminant ſerenitatem; aut pupillâ profligant ad radios nictitante. Audet inquam, audet in univerſum contentioſiùs debacchari malignitas! quæ in Numen, ſuæ ſcilicèt felicitatis principium, ſtomachatur virulenta. Fervete in iras, bile Draconum ſuccenſa pectora! donec cælos in pænam, flammantem in Supplicia olympum, ad Iuſtitiæ Sacramentum, Fulminantem dexteram accenderitis. Feruete maligno æſtuoſa cere-

bro

bro Capita! donec vindicis tela Nemesis, febrim extinxerint violentam. Armorum sensus, temulentum ad impia excitat animum? hâc ipsâ animali in parte contabescitis. Depravata ad lites & jurgia exagitat, & movet ratio? hæc etiam novit suos involare cippos, non vitare casses, & compedes erronea. Fervete! aut integro flammate orco! quibus jacula, quibus dogmata, incendiarius acuit, & ministrat Phlegeton, Polo invisus, Poloniæ inimicus. Lucem veritatis, filij tenebrarum oditis? umbras fugite infestantes! ne æternùm comprehendant. Virtuti scelus, æquitati flagitium, impingitis? vobis metuite! ne grandæva, & depontana iniquitas, abysso sorbeatur avernali. Intestinam arroditis pacem? tandem sapite! ne proprio in viscere vulnus doleatis. Sors belli dubia: ijs tantùm triumphat in manibus; qui ponunt animam, ut Deum lucrifaciant. Arbitraria eam in partem propendet statera intimiùs: quam causæ veritas suo pretio informa-

bit. Mitesce Bellua! si sapis; motus compone! si sentis; ignes extingve odiorum! si lumen non amittis rationis. Lituos canitis? subsilimus; tympana solvitis? non surdescimus; in objectum Gradivi explicatis signa? hæc novimus; tormenta accenditis & jacula? hæc ante exanimes non concidimus; pyrios libratis pulveres? hos inter ignes calescimus; plumbeā conferitis grandinē? nō metu, non pavore, gelidi contabescimus; Belli, & armorum machinas instruitis arietes? pectora exponimus; transmarinos ad lanienam, & ruinam movetis, ac suscitatis Leones? his vigiles prospicimus; truces; & barbaras è Septemtrione allicitis Volucres? his strenui Harpijs Alcidæ obviamus; necem apparatis? non cedimus; fata urgetis? hâc morte vivimus immortaliùs. Vires non ignavi aptamus duello: quos fulcit fortitudo; nequaquam concidimus animis: quos erigit, quos tenet, Divitiarum, & scientiæ DEI Altitudo. Arenam præliarem petimus: metamur castra:

Hero-

Heroum diſponimus cuneos: armamus copias: accendimus turmas,dabunt ſucceſſum, dabunt auxilia poli, ſacratiore Pentheſileâ, has ante Aquilas Regni, CATHARINA dimicante. Sivè verò litigioſis prætoria permittimus ſuccendi flammis? concedimus curias? pandimus Areopagum? non impedimus Regias? æquitatis reſeramus ſtubas? non ultra immobilis, ſtabit adverſa poteſtas, ſuis ſcrutinijs infamiter defectura. Non ultra contumax hiſcet arrogantia: pro veritate, pro Iuſtitiâ, pro Libertate, pro Patria, & Divorum Incolatu, inter objecta ardentiſſimè; inter violenta conſtantiſſimè; inter allegata providiſſimè; inter abſurda zeloziſſimè; inter negata urgentiſſimè; inter Iuris diffugia prudentiſſimè; *Catharinâ Primæ Cauſæ Patronâ excubante.* Conceditis benevolam tantiſper Auditores aurem: ut Ejuſdem Legiſperitæ Dignitas, Patronatûs Studium, Victoriæ Gloria, argumentorum realitas, in agendo dexteritas, non ità è verborum, quàm cauſarum apparatu, conſtet, & innoteſcat. P2 Pri-

Pridem jam in terris, inculpata cæli cæpit ſuccumbere veritas: ut, quodcunq; ærumnoſa Iuſtitiæ petierit forum; quodcunq; Iudicum ſupplex pulſaverit oſtium; aut peſſulata obliquo ad vota cardine reſeraverit Prætoria; illicò excedere, illicò declinare maluerit; dum in æquitate, ſuſpecta: in realitate, dubia: in Innocentia, gravaminoſa: in evidentia rerum, obſcura: in Cauſarum Diarys eraditur; in aditu Legum & Pandectarum arcetur; in limine Iuſtitiæ retunditur; longoq; ad incitas abacta intervallo, abſq; crimine convincitur rea; abſq; flagitio ſuppliciatur vincta; abſq; advocato proſcripta obæratur vadijs; nullius, de Iure & lege, tutela: nullius ſuffulta vade & teſtimonio: inſons periculum neutiquam evitaverit. Vidiſtis olim vultu comem, ſupercilio mitem, facto non ambitioſam, verborum parcam, immorigero non gravẽ inceſſu, per ipſa Iuriſperitorum veſtigia, æquatam ſolo, proſtatam calcibus reuerentialiter de genu ſerpere Humilitatem? profun-

funda ab imo pectorum sensistis suspiria? fusas ubertim legistis lachrymas? illud tamen universæ calamitatis simulacrum: nec aure ad intelligentiam; nec vultu ad solatium; nec oculo ad medelam suscipi meretur, ac suspici benigniore! ipsâ videlicèt superbiâ palmam & oleam injuriosiùs complectente. Vidistis decoctam inediâ: exhaustam macie: depexam centonibus: cinere squallidam: cilicio asperam: mortificatam affectibus; integro plerumq; orbe religiosiùs deplorare pietatem? lachrymas extorsit scelus! dùm aleam, dùm pennam, suas in partes reflexit dissolutio. Vidistis acri oppressam ejulatu servitutem, ad vindictam acuere, & armare cælites? dùm causam in terris stitit, interrupit processum potestas tenebrarum. Vidistis incorruptæ virtutis beneficio, cæli Genium: illibatam habitu, specie Angelum, in primitivo naturæ non vitiatam, nec læsam splendore Innocentiam, corruptas pro Iustitia adire Præfecturas? quam tandem contemeratus

propudijs mortalium ſenſus; & flocci pendere, & legibus excludi perſvaſit Prætorianis. Vidiſtis non fuco, non blanditiarum calamiſtratum pigmento, Divini Honoris Zelum æquitati inſtitiſſe ardentiùs? piacula attonare fideliùs? licentiam populi fulminare animoſiùs? infringere auſum? effrænem vehementiùs cohibere motum? mox unica levioris momenti ſuſpicio, eam Iudicium abigit in temeritatem! ut maligni furoris dedecore, efferati barbarie animi, indomitæ affectionis delirio, meriſſima probitas, exactiſſima virtus infametur, proſcribatur, peſſumdetur, contaminetur. Utinam jam nec nôſſe virtutẽ orbi liceret! quã odijs, quã publico deſpectu, Iuſtitiæ ſuppliciant Adminiſtri. Rarus nudæ veritati favet; propugnandæ rarior patrocinatur injuriæ; nam qui cauſam tueretur Altiſſimi, prorsùs rariſſimus. Ità quippè uſuvenit: cauſæ dũ movent litem ſecundæ, Prima labat! Prima ſuccumbit! ſuis quoq; in ſuppedaneis. Ducerent jam ſaltim eæ Numarum, Conſorũ

dicta-

dictaturæ, non postremæ, suæ suorumq; felicitati. Numinis injurias, probitatum querelas pro æquo discernere; judicare pro ratione. Non vitia tantùm Themydi pensare proprium: etiam virtuti acclinare libram consentaneum. Cæno viliorē, dùm gemmat; sive fluxis auri dùm madet torrentibus; erigere iniquitatem? quàm impium! dùm largitur præmia; Patronam eidem supponere manum? quàm impudens! dùm corrumpit; immortalem devovere animum? quàm dolendum! venalem dùm mercatur sententiam; mentem obærare & fidem? quàm scelestum! inops merito, & æquitate, perjuriæ felicitatis dùm spargit sementem; hanc ipsam è vestigio volare, & abire post messem? quàm improvidum! aureæ locum non concedere virtuti? quàm inconsultū! abjectæ non suffragari? depressæ non opitulari? quàm rectæ dissonum rationi. Ast triumphet hactenùs protectum scelus! gemat probitas; paludata tumeant flagitia! virtus contempta lugeat; Avarus

opi-

opibus turgeat animus! dies calamitatum in cinere recogitet inopia; plaudat in adytis, inter sistra & choreas, iniquè termi-nato Iuris Rotulo, depravatus Honor! depressa ultrà sphæram & cancellos iniqvitatis, ploret humilitas; canat trophæa tybijs altùm subsultans improbus Amor! acta in divortium verecundetur pudicitia; effrons in crimine, nihil scelesti reformidet ausus! in umbra mali comperta castigetur Pusillanimitas; criminatrices protegantur lænæ! pellices sinu foveantur lacertæ! status odio aggravetur incorruptus. Valeant: quantùm valere possunt, hâc iniquitatis in statera, Humani respectus! hoc ipso valore, & pretio inermes! suo Numen pessumde--tur in bono magno integritatis cum dispendio, mortalium in lucrum conquirantur favores! Immortales Gratiæ, luxu, & impiâ dissipentut prodigalitate. Iterùm dico: triumphet scelus! plaudat vitium! donec suos Numen causidicos, immensi evictores Honoris, oppressorum Patronos,

lon-

longo experientiæ intervallo, Humana consilia docuerit anteire. Plaudat, & triumphet scelus! in Purpura superbum; in solio contumax; in tabernaculis immune; in Prætorijs exlex; in palatijs inverecundum; in urbibus hospitale; in tentorijs securum; in armis indomitum. Plaudat! aut satiùs infamatam deploret felicitatem! ploret! lugeat scelus! & hoc ipso securitatis in statu, post frequentatos lapsus casum reformidet desperatum. Diutiùs neutiquàm terrestis stare novit beatitudo: quidni etiam piacularis felicitas transeat cũ sonitu? transeat cum memoria. Etenim quæ lux olim voluptuosa instruxit hilaria; eadem imbres expressit lachrymarum intempestos. Quippè: si nulli penitùs triumphus perennis? profectò trophæa flagitij instantanea. Dierum nemo innubis suis absolvit terminis? quoties ad extrema impulit mens & animus cauteriatus. Vidimus: Solem suo clariorem meridie, imminens extingvit crepusculum; longioribus quan-

tumvìs felicem diffugijs culpam, gradu socio premit supplicium & castigat; nihilq; magìs eidem præsentiùs: quàm tempori indulgens, tempori parcens Iustitia punitiva. Erige tandem caput! adoreas depressa attolle Innocentia! causam instruite addicta virtuti Nomina! leges, quas cæca contaminavit potestas; scripta, quæ obliteravit invidia; munimenta, quæ enervavit dominium; testimonia, quæ illegitimavit malignitas, sine documentis proscripti; sine litis impensis exhausti; sine Patrono convicti, passi toties congerite Actores! sub Iudice, oppressa: sub arbitro sepulta: sub Consulibus tumulata: sub Dictaturis, orco, gehennæ, addicta reviviscet injuria, & respirabit. Partes, consilia, sensum sequimini CATHARINÆ universi! Patronam nõ venalem; Legisperitam incorruptam; causidicam inculpatam; non cuipiam obstrepentium lenociniorum credentem sibilo; non fulgurantis metalli seductam crepidine; non mendaci volupiæ emollitam Fa-

vo-

vonio; non gratiarum adulteratam æthesiis; non opum delusam apparatu; non minis, non letho, non tormentis, ab inito causæ Primæ argumento; ab incæpto offensarum Patronatu; desultoriam. Imus tantæ Patronæ exploraturi dignitatem, hoc ipsum ante Tribunal Auditores: ubi operam impendens Maximinus, æquitatis libram enormi cum dispendio labefactavit. Imus hæc ipsa in Prætoria: ubi sanioris consilij remotis, exturbatisq; arbitris, mens in Regum tænijs dissoluta, pravos abijt post impetus passionum. Vide orbis; haram non aram prostitutæ in Regia Iustitiæ! ubi ingentibus in donis dator, in unionibus largitor, in gemmeis attributis & muneribus, summus Primusq; provisor, epicureo illo à porco effræni voluptatum eluvie conculcatur. Vide orbis hæc ipsa Cæsaris intra adita, æquitatis profanari sacraria! quoties Sanctissimus in sanctis, aut decreto pressus, aut equuleo tortus, aut scorpionibus læsus, aut infamiâ affectus, im-

pudenter proſtituitur. Vide orbis: corruptam ſenſim ſine ſenſu interire Iuſtitiam! ubi mancipatus libertati, virtuti flagitium, honeſtati impudentia, felicitati fatum, jus obligatorium & temporaneum Sanctæ, æviternæ antefertur hæreditati. Vide orbis? legum earum arbitrum, turpiter adeò hallucinatum Maximinum! quoties ea ſvadere, ea ſancire, ea decernere, callidiſſimi hoſtis audeat & attentet conſilio? quòd ſuæ, quòd innumerorum, ex hoc præjudicio inferat nocumenta perfectioni. Fervent: fervent flagranti in litigio curiæ! nec lumen reſpicitur rationis; quibus nubem orcus prætendit, & ſpecie boni deluſit apparentis. Æſtuant totâ gehennâ & erebo, pro iniquitate maligniores cauſidici! quibus dùm ceſſit Honeſtatis Amor, grande incendium libido conſummavit. Statuitur omne pro lubitu; decernitur pro ſenſu; ſingula librantur pro voto; expenduntur pro affectu; fortiter attentantis concupiſcentiæ. Conſcribuntur Decreta, divulgan-

gantur ſtatuta, & ni Tabulis fides daretur Cæſarianis, complentur vadia, undiq; manantibus cruore latifundijs. Itum erat eô iniquitatis in proceſſu perquàm celerrimè: conclamatum, & omnes orientis ſparſum per oras: cæli ſignatos Hæredes, aut vitæ, aut ſummi Boni, exnunc debere ſubire periculum! aut innumera tolerare diſpendia! ad exterminium. Actum erat de ſingulis: nec Partium admiſſum Patrocinium; qui totius felicitatis Authorem & comprehenſorem DEUM, infami delirio, ſui Imperij è partibus proſcribere adnitebatur. Non ultrà permiſſum humanæ cautelâ legis, ô dementiam! cum filijs hominum ſvaviter converſanti domicilium! quaſi is ipſe ſubverſis aris, profanatis ſacrarijs, dirutis Templis, incineratis Baſilicis, non ampliùs, in quo vivimus, movemur, & ſumus; ſtare poſſit; aut ſua intra Regna omnipotenter hoſpitari. Arrogat Ius omne ſibi, dùm Bona corporis, Bona animi, ſuæ poteſtati, & imperio, ex integro

cedere, nec istorum se ultrà quenquam posse pati Hæredem & Dominum, amenter declaravit. Egit: egit non sine universalis detrimento Boni, absolutæ dementiæ potestas! sibi videlicèt Impotens Dominari Maximinus! omnia imperatorium, quæ dynastarum debet Domino, referri extorquet ad fiscum; & ut se vitæ omnium probâsset Dominum? toties irrogatâ nece se Tyrannum testatus immanissimum. Ità jam maledictus in opere suo Emphitheuta; Regni, imperijq; præsentis violentus tenutarius: barbara exactione insupportabilis: non minùs damnum corporum, quàm integritati animarum, insanè irrogavit. Oppressit plurimos: qui dùm suæ infelices adegit famulari appetentiæ, perpetuæ servitutis jugo mancipavit. Tenuit carcer ut plurimos! quos cælum vocavit in libertatem; quos verò favor, quos truculenta Maximini demulsit, & ablactavit mansvetudo; æternum scelestos tenet, tenebitq; ærgastulum. O! nimiùm lentos ad vindi-

ctam

ctam ſuperos! ſtagnant compita,fuſo ſangvinis inatrata torrente! non diſcernitis; lachrymarũ cataclyſmo ingurgitantur naufragi! fatuum ejuſmodi ſidus, tanti prænuntium, & cauſativum diluvij, non extingvitis; pleno ad macellum grege compelluntur inſontes! non avertitis; belluinis inter lupanaria rabientium contaminantur morſibus! non proſpicitis; Pars & Hæreditas ſanctorum ſuis ſciſſa deartuatur articulis! nõ conſulitis;Honor & poſſeſſio læditur Altiſſimi! non evincitis. Verùm non ultrà jam criminatricis faſtidia coronæ ferre potuit Alexandrinæ Anteſignana Metropolis; Genere, Dotibus, conſilio, virtute, fortiq; animo Præditiſſima CATHARINA; non ampliùs infinitam Numinis diſſimulavit injuriam; quam omni ex parte violentus Dynaſta irrogaverat. Vidit barbarè non fabuloſi cujuſpiam deaſtri,veri Numinis extinctum aboleri cultum! & exarſit; ſubverſas doluit Aras! & ſe hoſtiam Deo conſecrandam obtulit; impeditam in ſer-

vien-

viendo Regi Regum ſúſpexit voluntatem! & evincere, vindicare ſtatuit; Innocentiſſimas audijt contaminari mentes! & crimen ſuo expiare ſangvine præconcepit; Homicidia, cædes, viventium ſanctè, nefando conſummari advertit impetu! & mortem defendere Iuſtorum feſtinavit; bona munda illibatarum mentium, inrer ſcorta violentiſſimo cognovit invadiari incæ--ſtu! & tanti improperij Authores, integro attonari cælo, proſcribi legibus: temporali ſuppliciari pænâ: ut tandem emendatis moribus, ſuppreſſis vitijs, vitam conſpicuā meritis, tantiſq; à flagitijs redderet, & faceret alienam; ſpopondit, declaravit. Iurat vero Numini fidem: indefeſsè bella Domini præliari. Iurat: infrunitum Cæſaris animū, Sacris legum adverſantem Tabulis, per utriuſq; juris viam; aut perfectiùs: per Iuſtitiæ commutativæ pandectas, & remedia; ad meliorem frugem, ad optatiſſimam ſalutem; faneticum Actorem, nihil ſanâ mente & corpore attentantem, modis velle omni-

omni-

mnibus revocari. Iurat in ſuſceptæ negotium cauſæ: irremiſſo ſtudio, infractâ conſtantiâ, pariq; agendorum diligentiâ, obeundum. Implet mox Partis Actoreæ officia; & evolutis, ſpectatiſq; cauſarum munimentis, ad Tribunal citat; ad Iudicium vocat; ad leges ſuo collapſas, & convulſas in Imperio, urget, poſtulat, obligat rehabendas. Inquiruntur facta: verecundiam Princeps exuta Purpura, irâ, odio, fædiſſimè expalleſcit. Trabeata inducuntur ſcelera: nullo prætextata reſpectu diſcutiuntur flagitia: Orientis Solium, in fulmina contorquet animum; in fulgura accendit frontem; totum in tonitrua efferveſcit. Aggravantes expenduntur modi: gravamen ægrè ſuſtinet Coronata Poteſtas; complices ad ſyllabum evocantur culpæ: & eô ſe primùm pravorum habituum deformem ſatellitio, in publico Arbitrorum congreſſu, & Senatu, dolenter tulit, dolentiùs ſenſit, intellexit dolentiſſimè; ad hanc ſalutarem medelam vitijs correptus & corruptus Ma-

ximinus. Conſpicite CATHARINAM ſtudioſiùs! & abſolutiſſimam reverebimini Iuriſperitam; quæ jus audire, & dare; leges citare, & ſervare; Tabularum notas; non minùs verbis, quàm factis exprimere, & imprimere ſtuduit, per fas nefaſq; procedentibus. Nec trivialem quispiam hanc eſſe cenſeat Advocatam, quæ pro DEO cauſam agit; pro DEO tot inter Prætores ſudat, & certat ad internecionem. Diſcite hanc quoq; non poſtremam Cauſidicorum annumerari ad claſſem! quæ Numen habuit, & ſui Actoratûs coluit Principalem. In hoc Uno, & vindicativæ leges, & commutativæ libravit pandectas; pro quô dùm ageret: polos ſuccendit & animavit ad vindictam; dùm juſto ferveret zelo: globos aſtrorum igneos, ad rogum ſceleſtis ſuſcitavit. Arguitur Maximinus facti: & convincitur; fuſus barbarè expenditur ſangvis: mox judicio, & aſſenſu omnium, infamis latro, carnifex, ſicarius in purpura, Majeſtatis cum dedecore procla-

ma-

matur. Obſerata clandeſtinis penetralibus, moventur propudia: ſecreta revelantur crimina: nihil evidentiùs! cui aſtra, cui ſidera, fidele ad convincendum impendunt teſtimonium. Vide Barbare! ipſa adversùs Te clamantia Aſtra! vide crimina! vide flagitia! pænas, damna, ſupplicia ex Te ſumenda depoſcentia. Tuæ tandem ſaluti conſule! ſi vivere æternùm placet? infamato proſpice nomini! ſi non obſcuro diademate, votum perenniter radiare. Tot tantiſq; è periculis, Regem Regum appella Salvatorem! ſi ultrices manus, ſi pænas, ſi tormenta, animus eſt effugere ſuppliciantium. Cave, cave ampliùs maledicte bonorum noſtrorum prætenſor, in quæq; deterrima hanc proſtituere, & vendicare ſortem! quam *futuri Princeps ſæculi* infinito pretio conquiſiverat. Cave ampliùs hæreditatis Domini invaſor deſpotice, opimam hanc bonorum, & optimam integro ſignatorum cælo, involare coloniam! Bona Regalia ſunt: Abſolutiſſimi ſcilicèt

in orbe Dominij; hinc à legitima possessione Domini, nequaquam contractu avelli possunt obligatorio! nec insuper inquietã, avaram Contradicentis viciniam patiuntur. Cave Maximine, iniquo ea attentare ausu! quæ vitam eripiunt, vulnera insligunt, mortem conciliant immortalem. Vis impie Criminator? causam tantisper suspendimus: ubi mores spoponderis emendatos. Vis? pænas relaxamus delicti: ubi sub potenti Dextera caput sacrilegum humiliaveris. Vis? juris concedimus remedia: ubi voluntariâ phrenesi abhinc desieris laborare. A sceptro, ad imperiũ; à cydari ad coronam; à throno ad solium; gradum facies benedictus: ubi Te non ampliùs in profundum dementiæ præcipitaveris. Verùm enimverò: aliud in diffugia prehendit medium Maximinus: integro redundat Pactolo, spumat Indo, aurifluo desudat Hermo in præmia: quò fervorem extingveret Iustitiæ; gemmeam in munera spargit procellam; ut æquitatis Phasellum

duce-

duceret in naufragium; & à portu retunderet beatitudinis. Torques, murænulas auro, pyropis, adamantibus vermiculatas objectat in tributum Amori liberalior: ut, hoc gratiarum acervo processum sisteret, sibi, suisq; vitijs intentatum. Doluit tandem Maximinus, nec culpam Gangete ablui: nec æquanimitatem obryzo corrumpi, nec gratijs emolliri Patronam, nec in vota xenijs Legisperitam pertrahi ullis unquàm potuisse. Alia prætendit media, ut suo graviter hallucinatus delirio, aliorum saltim firmiùs staret consilijs, muniretur scientiâ ab imperitis. Conducuntur Assyriorum Chaldæi; è centro terræ Indorum acciuntur Gymnosophystæ: Persarum conducuntur Magi: Gallorum expetuntur Druides: Sammanæorum statuuntur Brachmanes: Lacædemoniorum invitantur Hyparchi: Græcia, Athenæ, Alexandria suis præsentata in Sapientibus statuuntur. Iam Zenonis volumina, jam Platonis Archivia, jam Aristotelis fasti, jam Aristippi scripta,

jam Lacidis folia, jam Diogenis tomi, à tineis vindicantur, & blattis; unius Causidicæ ad confutandum animum, ad convincendum ingenium, susq; deq; expilantur. Verba retunduntur verbis; leges retorquentur legibus; tabulæ opponuntur tabulis; falsò per Orientem sparsus rumor, inconcussis convellitur munimentis; antiquissimi sophysmata veteratoris, Æternæ Veritatis impugnantur evidentiâ; motus, instantias, theoremata, omneq; perversissimæ suppositum iniquitatis, Increato confutávit Verbo, vicit, proscripsit, depressit, conculcavit: CATHARINA Scientiarum Numen, Numinis Patrona, Artium Promoconda, Iuris Utriusq; Magistra, Laurearum, jam in fuso,è collo, lacte Candidata; jā in sangvine Promota; jam in cicatricibus Signata, ad togam, ad trabeas, ad stolā jucunditatis. Vicisti CATHARINA, vicisti! Sapientum conclamat Universitas; Primæ Causæ vicisti Patrona! Partes, ad virginei cruoris objectum verecundantur adversæ;

versæ; vicisti! integer attestatur Oriens; trophæa serenat meridies; ad tantæ phænomena gloriæ, remotissimus exardescit Septemtrio; occasum lucis non patitur Occidens, & ignorat. Iurat suæ in verba Magistræ Imperatorij Palatij honor; tota abit Regia, & victricibus CATHARINÆ plantis, exnunc inhæret pedissequa; Augusta divortiatur Consors, in sortem Electorum DEI, nomen, vitam, mores descriptura; vulnerum stigmatibus munitura sacrosanctè. Vicisti CATHARINA! cui causam agenti, equuleus & rota dederunt cathedram; in illo dum penderes: suspensos tenuisti summâ admiratione spectatores; in hâc cũ diceres, aut perorares ardentiùs: è radijs proruperunt flammæ, ex asteriscis lumina, ut splendorem augerent Eloquentiæ, ut orationem accenderent, ut tenebriones confunderent, ad Lumen caligantes Veritatis; ubi Tota in flammis sanctissimâ excanduisti indignatione. Ires quoq; hâc ex arena, usq; in cineres Magnarum Ala-

rum

rum Aquila:ut ad casses vitæ, indomitum veluti cervum impelleres Maximinum; Cæloq; prædam gratissimam venareris. Involares ut pulvis cælesti provisus pharmacopolio, lippientis obtutum Monarchæ, ut tumorem detraheres; quô sana premebatur mens; ut ad cor reduceres, à quo pravis affectibus, ut plurimùm aberrabat. Ires usq; resolvenda in athomos, pro DEO reo actura: Primæq; patrocinatura Causæ: nec more tantummodò veterum, auream pulvere inspergeres comam; verùm integro situ corporis, Temetipsam æquatura solo, supplex adsterneres vestigijs; ut exauthoratū in Imperio Numen, suas in Aras restitui, suas reinduci in Basilicas; primitivo addici posset cultui, & honori; quæ omnia sacrilego ausu, Idololatrarum manus fuerat suffurata. Vicisti CATHARINA, vicisti! nam etsi Regna & Imperia, Dominantium Dominum, impeditâ toties â Barbaris intromissione, rehabenda non viceris? Insignia tamen extorsisti & obtulisti

Impe-

Imperij! Regem Regum, omnibus adorandum propositura Gentibus, augustissimo inclytissimi sangvinis murice inauthorâsti. Vicisti CATHARINA! quà cælis, quà terris, ex hoc Actoratu, Primæ Causæ celebraberis Patrona! cùm, ubi olim, id est in fastigio Montis Sinai, digito Paternæ Dexteræ, conscriptæ legum frangebantur tabulæ; ibi virgineâ in membranâ, stylis inarata ferreis, propugnatæ fidei dogmata; Æternæ Veritatis reimpressa paradoxa perennant perennabuntq;. Vicisti Catharina! Causæ Primæ dùm egeras Patronā strenuissimam; nobis manum porrige, in via Legis Naturæ & Gratiæ, succumbenitibus Tutelarem.

Panegyricus D. CATHARINÆ, sub schemate: Universæ Fortuna Christianitatis. *dictus* Anno D. 1726. *post Celebratū Iubilæum Magnum, & ex occasione incendij violentissimi.*

HOrret animus! & ad tantarum calamitatum faciem, vultu mæstior, genis confusior, fronte dejectior, eloquio fatalior, integrâ artuum symmetriâ imbecillior, proximo & propinquo fato langvescit Orator! moxq; ad recidivos publicæ felicitatis occasus, ægrè sibi constat! ægriùs hæc inter consistit rostra! ægerrimè hâc quoq; in periodo, dictionis expirat pneumata! jamq; in tributariæ homagia panegyris, in annuos elogiorum census, ad Protectricis adorationem Tutelæ, Alexandrinæ Principis, Scientiarum Antesignanæ, Artium Dominæ, Universitatum Imperatricis, ad perennes cultus; jam Tullianæ Monarchiæ dogmatibus, jam conspirantibus amorum civilitate, ex officio instructus adorator, ad floridam amænitatem styli, ad recurrentem Solenniorum lucem, non infimo charactere notor! ingentium felicitatum expilatore autumno gravor! & in primo dicendi ardore obrigesco. Auream nuper Gratiarum Portam, Sacrosanctæ in

Be-

Benedicto, Nominis istius Decimotertio; Sanctitatis famâ, celeberrimo gestorum prodigio, specialissimâ virtutum beatitudine, nemini secundo! præsentium ad jactantiam ætatum, ad posthumorum sæculorum loquar invidiam: omnium Secundissimo! reserârunt Claves; proh! invida tantis successibus fata, patentibus audentiùs illabuntur ostijs! summiq; favoris vestigia, partim enormioribus mortalium obliterata despectibus; partim segniore virtutum infamata profectu; vindicant graviùs, ulciscuntur crebriùs, plectunt damnosiùs; castigant & puniunt, in demerito segnem, in vijs Veritatis dubiam, in præmio vecordem, in gratijs obstinatam, in resipiscentia duram: in vocatione tardam: in motivis insensilem, in efficacissimis donorum concursibus acediosam, rebellis appetentiæ regionem. Errat! ipsoq; graviùs errore delinquit, & errat! qui in summo luminum nitescens cælo, umbras Phàéton minùs horrescit teterrimas; luditur, & in

vertiginem nefando abigitur ambitu; quem exporrecti ad faſtigium calles, à primæ centro gloriæ, poſſe deficere nunquam, ſpe ambulatoriâ, vagâq; urgent, & ſollicitant fiduciâ. Cadunt quippè ſuo fato damnoſiùs: quibus contermina illuſtrium Planetarum luci, Fortuna iudulſit tabernacula; eôq; infelices gradu, ad univerſi prodigium reddidt, quô feliciùs eminere cæteris ſatagebant. O! nimiùm ſorte, & felicitate noſtrâ fallaces, & prodigi! fontem optatæ conquirimus beatitudinis: fluenta ærumnarum, in præmium ducimus. Plana honorum terimus veſtigia: & deflexis in obliquum ambagibus rapimur; adamantem conſtantiâ, gemmam fidelitate, augmento magnetem, luce innubi carbunculum, felicitatem captamus, & capimus, & vitream premimus; vertumnam lugemus; inopem querimur, intuemur obſcuram legitimi malorum poſſeſſores. Sic noſtro amentes bono, inſanimus graviùs! dùm ex ipſis Gratiarum Charitibus, improbo fatorum

rum germine, monstra concipimus, & suscipimus, nostris domestica successibus; animorum adytis inquilina. Gemmabant melliflui cæli nectar favorum svavissimum: vitio palati, acorem bibimus! Rorem stillabant proficuum: peccati fomite, piaculares ursimus, & extorsimus flammas! infiniti gazam meriti suppeditabant & profundebant liberaliùs: assvetæ defectuum adhæsimus inopiæ! inveteratis mancipia mortis solvebant reatibus: promptiùs in casses & vincula ivimus! gratuitam ultrò impertiebantur veniam: offensam acceleravimus! relaxabant pænas: intendimus supplicia! præcipuos spirabant amores: immensa odia reposuimus. Fecimus tandem! (non sine doloris intelligentiâ loquor!) nostris Numen fecimus obedire malis! fecimus servire peccatis! ac in nostra rigidiùs animadvertere desideria. Fecimus tantarum ærumnarum incendiarij, indomitas succendi pyras! cælestes inflammari globos! sævissima elidi fulmina! perituri or-

bis in ruinam. Fecimus indulta ſceleri non ampliùs duci, & concedi armiſtitia! arcum fæderis, gygantis ad ſtragem malitiæ, pleniſſimis ſagittis inarmari. Aridis ad Fontem Vitæ ſterileſcebamus pectoribus: hinc ad damna Syrios accendimus ſoles; ad molles Diviniſſimi Favonij æthesias, gelidis rigebamus arterijs: violenta ad internecionem elisimus incendia; terram fugimus, & vitavimus Grani lectiſſimi fructu benedictam: in cinere lugemus; tumulamur in favillis; corrupta cadavera in vitæ beneficio. Proni & faciles in relapſum, fixis vacillavimus propoſitis: portentoſas mali in nubibus inflammavimus columnas; demulcenti toties quoties recalcitravimus Gratiæ: flammeos cæli arietes, quibus è ſtatu Beatorum, palabundæ oves, infectæ exturbaremur pecudes, evocavimus. Ità ſemel neglectam Gratiam, motu perpetuo, ingens malorum vindicat comitatus; quibus in auxiliares copias, jam affinia in ultionem conſpirant elementa; jam efferveſcunt

ſcunt ſuperi; jam armantur cælites; ad pænas, ad ſupplicia lue fanetica laborantium. Miſeret me tui, vetule ſenecio Orbis! miſeret me tui! compaſſivas lachrymas; extremam inter gemitus vocem, inſtantia extorquent fata! miſeret me tui! diſſolute tot ſæculorum Puer, ubi omnium bonorum exuendus ſubſtantijs: paupere accingendus penulâ: emendicatæ ſtipis obolo; abſq; ope cæli, ſis vitam ad ultimum levaturus. Quantâ lippimus cæcitate Mortales! attritam videmus Imperiorum integritatem: nec noſtris talpæ proſpicimus malis; ſpoliata cernimus Regna: dirutas, & avulſas Provincias: ſciſſas hæreditates; exuſtas Metropoles; incineratas Urbes: nec damna omnibus ruentia ex oris intelligimus; ſuſpicimus terræ æquata territoria: diſtractos, direptoſq; in prædam fatorum Diſtrictus: parùm diſtare à ſolo Solia: modice diſtingvi à trabibus trabeas: ſummoſq; bonorum Optimates, in omnium malorum naufragari confluxu: nec animadvertimus;

timus; expilata contemplamur æraria: consumptas opes: dispersa in aligenarum manus congiaria: nec nos ipsos in tantis divisos malis recolligimus. Sanam mentem, ipsis comprecantibus cælis, precari audeo; audeo salutaria propinare media; lapsisq; tantisper rebus, solidissima consiliorum firmamenta surrogare. Unicam vobis has inter Aras, Diviniorem Fortunam monstrari persvasum habeo: quæ quia omnium commodis, universorum votis, est suffectura abundè, evidentissimâ speculabimur visione; dùm inter adversa prosperam; inter prospera constantem; inter blandimenta fugacem; inter odia sequacem; non mulicbri videlicèt mundo, sed integro cælitum decoram & divitem habitu. *CATHARINAM Christianitatis Fortunam*, plenissimo affectuum argumento, votorum non verborum apparatu præsentem salutabitis; salutatam coletis; cultam adorabitis; adoratam vobis, vestrisq; desiderijs experiemini favorabilem.

Vix prima diluculantis vitæ capimus exordia, vix infantilibus evinculati progredimur faſcijs, vix quadrupedante paſſu, è gerularum proſilimus manibus: illicò tenaciore ambitu, non ſegni amorum cultu, non lento deſideriorum commeatu, Fortunam ſuſpicimus; ſuſpectam quærimus; quæſitam remis & velis ſolliciti prævolamus Hyppotadæ, ſequimurq; votis ſtudioſiùs. Auditores Humaniſſimi. Prima nobis fictitij Numinis unà cum ratione occurrit notitia; nec in poſtremam latriam ducit cæcos Flamines in deſiderijs. Etiam plùs ſuperſtitiosâ laboramus Religione, dùm pro veſtalium lucernis, & intortitijs, ceream ardentibus votis inflammamus ætatem; devovemus acerrhas, odore cordium, non ſabæo thure animatas. Sic ipſi jam moleſti naturæ ſacrificuli, vires motibus, intellectum cogitatibus, voluntatem affectibus improvidè frangimus: irreflexè conſumimus; lædimus ſceleratè. Satis erat, (ô promptam in faſcinis credulitatem!) fluxarum,

minùs verò ad vota fluentium opum, fabulosâ nutricum cathechesi, prædicatam cognovisse Deam: mox cæcâ per orbis oras dilabimur fide; fatuo quopiam sidere, ad cunas Fortunæ acti, nullis unquàm à sæculis visæ, videndæq;. Pergimus, numerosa viarum contenti subire discrimina; in dissitas, vicinisq; molestijs asperas Universi plagas; solâ temeritate audaces ruimus, toties quoties graviùs in ausu fatorum plagandi supplicijs! nec metuimus; toleratis frangimur dispendijs! nec â cæptis fugacissimi Deastri ambagibus desistimus; jam in gemmeis Erythri nivibus, jam in splendentibus Pactoli arenis, jam in illimi Adamantum rore, sparsa ejusdem vestigia, perditissimi amatores legimus! promptiûsq; à votorum termino cassi aberramus viatores. Decurrimus felicioris Arabiæ, beatas sub Sole Insulas, Phænicem in Orbe investigaturi Fortunam! & atras tantummodò, sortisq; indigas, antevolare gressum observavimus cornices; ex quo eventu,

ventu, & omine, hâc ipsâ raritate rariùs delirantis vulgi fabricatum operâ, Fortunā monſtrum naturæ quôdpiam; aut fuiſſe hymeram dignoſcimus. Imus, imus feſtini, minùs verò feſtivi Stadiodromi, ultrà Alpes & Gades, pronum in vota quæſituri Numen; altiora Regnorum maximo ſæculorum conniſu tranſcendimus climata; nulloq; trabeati honoris in faſtigio, ſibi vicinam, nullo auguſto in murice, non erubeſcendam, nullo ſacratioris curulis in pegmate, non profanam, legimus, ſuſpicimus, videmus felicitatem. Iam inter Epheſinæ Dianæ aras, votis ſupplicibus propitiam, ardentiſſimi exoramus advenæ; jam inter Turrita Semyramidos propugnacula, obſide inſtantiùs impugnamus & expugnamus deſiderio; jam Rhodios inter obeliſcos & coloſſos vagi per Orbem imploramus & exploramus Peregrini; jam ad ultimum, inter Mauzolæorum adyta, promptiùs adire, & fugacem Deam preſſis tenere autumamus manibus; cùm tamen

nec inter Sacrorum tabernacula, in fidelitate demeremur ſacrilegam; nec dirutis Arcis Capitolinæ mænibus, vinctam & victã in obſequia ducimus; nec hæc inter munimina, firmiter intuemur conſtantem; arctis urnarum, circumſcriptam ſandapylis, non comprehendimus. Enimverò nullibi præſentem Fortunam adeſſe vidimus, abſentem ubiq; didicimus. Imò ubi abſentis ærumnas legimus: nullam fuiſſe in Orbe, nullam in Auguſtalibus, nullam ſacris, profaniſq; in penatibus, manifeſto querulantium deſideriorum opprobrio, abundè cognovimus. Ità ludis aſſveti inanibus Mortales, caſſis tantùm diſtrahimur veſtigijs; impreſsâ cujuſpiam boni allicimur imagine, nec reali unquàm ejuſdem fruimur viſione. Sequimur fluctuantis inter procellas Deæ nota errantibus carbaſa, illius gratìs venundati & mancipati triremibus; aurifluos Hermi rimamur vortices; extricamus mæandros; nec viam comperimus planam, quæ ad veram ejuſdem duceret

Regi-

Regionem. Gemimus laborioso diu agitati remigio, gemimus acerbiùs Ithaci! nec tranquilliore Fortunæ beamur portu; quos magnæ spei onustos sarcinis, vix obliquū littus suscepit exanimes, urnamq; concessit æternùm quieturis. Diffindimus parturientis terræ latera, ut latentem inter arcana metallorum cymelia speculemur feliciùs; tacitos enodamus cuniculos, ut iter arripiamus beatius; avari Parricidæ, in Matris viscera fossore desævimus ligone: nec ullum truculenti Tortores, absentis Fortunæ ab eadem extorquemus testimonium; gravidæ insuper auri, argentiq; fætu, carnifice vomere Telluris dilaniamus tergora; nec messem felicitatum legimus; sarculorum anatomiâ aureas eviscerамus venas, ut veluti Ariadnes manuducti filo, caput tantorum Bonorum reperiamus Fortunam; vel ad primum ejusdem pertingamus vivens, semper à corde istius penduli Amorini. Fodimus cæcutientes talpæ, luculentum avaritiæ adoptantes pa-

ſtum, ipſis vicinos & conterminos cælis, noſtrâ, eorumq; injuriâ diruimus caucaſos, niteſcentis glebæ illecti coruſcamento; ipſiq; ſponte, auri excinerando partum, tumulamus vitam; cumq; ſubterraneas aurifodinarum inimus criptas, pheretrum viva ingredimur cadavera, & ſepulchrum. O! luxuriantes in voto Helluones, avidiore ſuccenſi orexi, gemmeas hydaſpis exhaurimus patheras! ut vel profuſioribus votis, Fortunæ demereremur commercium, vel in fundo ejuſdem ſeriem ſpecularemur, & realitatem. Involamus Tyrum, Phrygios violamus penates, Colchicos tondemus arietes: miſeri tantarum contentionum pugiles! jam Aſſyriorum telonia, jam totius Orientis pervagamur tentoria, nec ullibi Bonorum Fortunæ ſiſtimus collimitanei. Cernimus, longâq; condiſcimus praxi, caſſos tantummodò & evanidos, tot inter curas & ſollicitudines, ſuperimpendi labores; nec magnæ Fortunæ ſpe deſiſtimus infelices. Fato agimur in deterio-

ra, & in ſortem optimam relegamus. Ità planè uſuvenit: captos faſcino animos, cũ immaturis puerorum ſolatijs, jam trochis, jam crepundijs, jam aurâ tumefactis bullis inaniter colludi, illudi infamiter, compreſſo amplexibus beneficio. Dumq; tanto gnaviùs inſudamus negotio: in opere comperimur nulli; quia nullam bonorum ſectantes portionem. Apage tanti delirij vitium! dementem hactenùs, & ſuperſtitioſam opinionem vulgi ſceleſtiùs contrectare. Credite certiſſimis, qui dubijs proni annuiſtis: Fortuna nulla eſt! quia magna, quia maxima à vobis æſtimata. Nulla eſt! quia mortali è nihilo concepta & producta intellectu. Nulla eſt! quia quibuſpiam omnipotentiæ attributis ſacrilegè celebrata. Nulla eſt! quia ad Deorum vaniſſimè relata generationem. Nulla eſt! quia nullos in pretio, nullos in præmio (publico aſſenſu loquor) conſummavit. Nulla eſt! qvam ut talem orthodoxæ evincant ſtoæ, perſvadeant exedræ, doceant

Pal-

Palladia, veriorem in Nomine, realem in bono, verissimam in Beneficio. CATHARINAM *Christianitatis Fortunam*, pijssimis adorant argumentis. Vacuum aliàs, nec suo individuo beatum, in orbe Fortunæ nomen, primò CATHARINÆ felicitas, Virginis Alexandrinæ Dignitas, incollisa tot adversis integritas, incorrupta prosperorum stratagematibus authoritas, liberà in confutando Majestas, augusta in præmiando liberalitas, non fracta in puniendo Coronatæ dementiæ animositas, excoluit, svasit, insignivit, sacravit, celebravit, eam in Foro civiliter, in curijs palmariter, in conclavibus animosè, inter armorum cuneos intrepidè, inter Sapientum objecta, inter ærgastuli ærumnas, palàm loquentibus, docentibusq; exemplis, ab universis sanctè, à singulis sanctiùs, ab omnibus Sanctissimè adorandam.

Et jam Fortunam, quam intimis adorans præcordijs, hæc inter Rostra, istius Solius beneficio, facundior, & fæcundior repro-

duco

duco orator; nolim hic ex inanibus Antiquitatum idæis, commentorum abusibus, fabularum pigmentis, adulatorijs scriptorũ calamistris, augustam fuisse censeatis? cui, ut umbræ Soli, ut Austri Favonijs, ut Ethesijs, Boreæ, ut æstati glaciales pruinæ, ut fæcundissimo imbrium rori, sitientis ariditas soli, supervacanea cedunt figmenta; nec ampliùs novitati vetustas, veritati mendacia, impudenter audent inficiari. Nolim inter tumidi alcyonia maris, istiusmet speculemini cunas? aut claram magni Oceani genesim, in eadem fidentiùs Homerianis deprædicari metris? Nolim cum Rhodopeâ Orpheos delirari lyra? & corrupti excremento sangvinis, pulcherrimam Angelicæ integritatis symmetriam inumbrari. Nolim è fatidico Parcarũ consortio, illustrem ejusdem natalium ductam approbari originem? nec solidissimum Istiusmet constantiæ firmamentum, ad volubilem fingi & defigi rotam? aut quidquid suo erronea delubro attribuerat vetustas? CA-

THARINÆ, probatissimæ scilicèt Divinitatis imagini, universarum Gratiarum centro, consummatissimæ beatitudinis termino, perfectissimæ desideriorum metæ, acceptissimæ orbis Christiani Fortunæ, nolim appingi, & impingi. Quòd si verò, ea tenaciùs inhærent animo: quæ annosa olim instillavit Authoritas; nec facilè ea præsens convellit ætas, quæ gravidum myriadibus sæculum stabilivit; hinc communem jam pronus delibo sensum: ut singulare, & præcipuum omnium vestrûm judicium referam; diversissimas opinionū ineo & sequor vias: ut ad planum veritatis iter, cunctos palmariùs introducam. Plura deniq; effictæ deæ, stomachante digeram, & consumam labio principia; ut CATHARINÆ in hoc charactere dicendi, absolutissima consummem elogia, dignissima honori perficiam prædicata. Dicite Mythologi, fluctivagum felicitatis vestræ Numen, genuinam Oceani Filiam! dicam ego legitimam Archimaris neptem CATHA-

RI-

RINAM: ſed quod ſuis Maria concepit, & profudit viſceribus, aut periclitanti inter naufragia humano ad ſalutem generi: aut areſcenti violentas inter febres, ad refrigerium; aut in maligno poſitis ad medelam. Filia eſt Oceani CATHARINA: (ab immenſitate Divinæ virtutis, humanâ comparatione loquor:) quam Fons Gratiarum in eadem teſtatur conſignatus. Filia eſt Oceani CATHARINA: ad cuius Amoris ſinum, gratuito Favorum concurſu, pleniſſima ſolatiorum maria per Mariam commigrârunt. Filia eſt Oceani CATHARINA: â qua ut Archipelago; (Ieſſæi vatis oracula repeto;) Aquæ multæ; populi multi, ſpirituali generatione dimanârunt. Filia eſt Oceani CATHARINA: ſed quem nullæ movent ſalebræ; exagitant turbines; nullæ alterant ſyrtes immutabilem. Creditis jam Divinam fuiſſe ſobolem CATHARINAM? Creditis perdilectam iſtius Oceani Filiam? aut ſi dubijs in liquidiſſimâ veritate diſtrahimini fluctibus? annulos Amoris conſuli-

te: quos Paterna teneriùs profundens Dextera, cælitem in CATHARINA redimiens animam, ſupremis Paranymphis obarrhavit. Iam è frequentiſſimo, in virginis contubernio, Numinis Epheborum aulæ, inquirite miniſterio! mox docebunt myſteria, cum ſimilem in terris, qui clarâ in cælis viſione, faciem intuentur Patris, è vultu Natæ ſuſpiciunt, & recolligunt. Verè Patrizat CATHARINA: innumeris in perfecta natura ſuperdotata Charitibus; quæ ſi ad complementũ retuliſſet pauciſſimas? ejuſdem cum Patre Subſtantiæ crediaiſſem. Patrizat CATHARINA: Æternis tantummodò, cum æterno; ſummis, cum ſummo; infinitis cum Infinito perenniter oblectata, æternùm fruitura. Dicite jam fabuloſi vates, ſangvinolentum, cruentumq; Fortunam numen! dicam ego; ad quæ incorrupta virginis genæ non erubeſcant lilia; dicam ego: ad quæ candidior ebore, frontis amænitas verecundiæ ardoribus non inflammetur. Dicam CATHARINAM: ſed

altiſ-

altiſſimæ Felicitatis conſangvineam; cujus tripudia cum immortali; vitæ ſolatia, cum æterno; affinitas, cum ſupremo; innocentiſſimi amores, cum pulcherrimo præ filijs hominum; conſortia cum ſimili; Dilectus meus candidus, & rubicundus; contrahuntur. Amant, amant ſimilia non niſi oblectari ſimilibus, & ſympathicâ virtute in affectus liberiùs trahi, jucundiùs ſollicitari. Dicite jam! quæcunq; in vetuſtis dubietatum authoribus, occinere placet; libet hos ipſos tantiſper fallaciarum ſequi mæandros, ut è delirijs ſeries, è figmentis realitas, è fabulis veritas, in CATHARINÆ comperta meritis innoteſcat. Vidiſtis CATHARINAM dilucido probatam argumento, myſticam myſtici Oceani Filiam? hanc etiam Fortunam credite! cujus dùm originem Chriſtianis libravimus principijs, Orthodoxam annuite. Vidiſtis thaumaturgo è ſangvine natam? cujus ad ultimum ſangvis ſit? intelligite. Diſcite, & tenaciſſimâ revolvite memoriâ, Univerſa-

 liſſi-

lissimam Philosophantis Orbis gnomam, omnem alimenti substantiam, in alitum digeri; & è cæli dapibus, Angelicæ vitalitatis nutrimento, optimam portionem sangvinis in CATHARINA observate. Si verò altiora sapere, supernaturali expediat intelligentiâ: Sacramentali veri Numinis Sangvine, Divinam in CATHARINA Virtutem perfici, immortalem animari animam dignoscemus. Frugalem in hac Cerere Fortunam, avidissimis captate votis! & in Panibus Propositionum cum hâc conviva saturabimini. In hoc transubstantiati Panis circulo & rota, nostra solidiùs in omnium usus vegetatur Fortuna; nec quopiam levitatis offendit motu: quā cæli exquisitæ fruges frugi effecerunt. Cæpit tandem ejusmodi Fortunæ, non minus favoribus, quā desiderijs laboràsse Maximinus; & in primū coronatæ potestatis movens & mobile, belluinam cupiditatum fecit potentiùs desævire impotentiam. Proh pudor! fædum in Purpura furit, & violentâ insanit Passione

one monſtrum! dùm in turbido, ſeu in maligno poſitus, noſtrã piſcari Fortunã præconcepit. Venit tandẽ eò, turpis in Principe dementia, ut ad profundùm infamiæ, ex aprico gloriæ ſeſe præcipitaverit, caſu, ſenſuq; magìs lubricante. Neſcit quippè agendi modum procaciſſima mortalium libido, cumq; jam malorum delibat ſcaturiginem; impudenter ſapit; cùm ſapiat; imprudenter concupiſcit; dùm concupiſcat, pravis exardeſcit deſiderijs; dùm ardeat & flammet, ſoluta intemperantiæ laxat fræna; dùm laxis in objecta fertur & ducitur votis: iniquitatem haurit; dùm hauriat, in tanto vitiorum naufragio, à vitæ voluptatibus ſuffocatur deploratiſſimè. Cæpit tandem Idalius piſcator, oleum operamq; perdere, cæpit irretitus nauta, novam inſtruere capturam, & in mari magno, diſſolutis ſpatioſo manibus, meditari crebriùs; attentare creberrimè; implere tenaciſſimè. Cæpit tandem orientis cum opprobrio ſolij, in abyſſo fluctuare dementiæ, Paphius

Impe-

Imperatoriæ claſſis Nauclerus, & tantæ Fortunæ fata prætendere moleſtiſſimè. Vidiſſes excerebrata homuncionis, vidiſſes ſtudia? jam tacitos blanditiarum bitumine demulſit hamos, ut rationalem allice-ret prædam; ſtruxit ingenti operarum mole, ſinuoſos in mali faucibus excipulos, ut ſpolium integritatis legeret; obliquos undiq; tetendit caſſes: nè caſſas in deſiderijs redderet appetentias; explicuit votorum ſagenam, ut diductis plagis, publicus innocentiæ plagiarius, hanc optimam ſibi è millibus deligeret portionem. Vidit tandem hanc prædam auguſto ſiſti in palatio, quot jubila! quot tripudia! quod celeuſmata! fataliſſimus concinuit Oſcen; ratus è concinnatis concinnè dolis, perfectiùs in delirio ſe votis potiturum. Cæpit tandem vigil indormitare endimio, cùm noſtram *Chriſtianitatis* Fortunam, ſuis captam & irretitam laqueis, cæperit ſolidiùs cogitare. Somnia fatue rumpe & excute Thimothee Fortuna eſt, ſed non lubrica; capta, ſed non vincta; ducta, ſed non victa conſtantiſſimi

animi

animi in propoſito. Fortuna eſt, ſed non infima; ſubdita, ſed non ſerva; paret exactè mandatis, ſed non imperijs. Fortuna eſt, ſed non pediſſequa; Domina, non mancipium; primæ libertatis Princeps, non flagitij oſtiaria. Fortuna eſt: ſummi Tonantis conſors, Regum mortalium conjugia non ſequetur. Duxiſti prædam, ſed nullam tenuiſti. Virgo eſt, ſed non mollis Syren; ſpecioſa Charis, ſed non Cytherea; nullis proci votis obſecutura. Fateor, maxima Fortuna eſt, ſed nullius corruptelæ merito, contemerata. Summa Fortuna eſt, ſed in lapſum flecti, in caſus agi, violatæ pudicitiæ inſcia, & ignara. Factum tandem, clarumq; Cordubenſis dogma, inconſulto Maximini comprobatum eventu, *Nullam adeò tàm bonam Fortunam, de qua nihil conqueri poſſis.* Bone DEUS! ut primùm inani ſpe, ſe ludi, plena faſtu, probris plenior, dehoneſtamentis pleniſſima intellexit majeſtas! quot ardentibus incitatam jurgijs extingvere; quô technarum impetitam gene-

W re,

re, vincere; quot litibus doloſa vulpes, aut immanior truculentiâ Leopardus, leniſſimam opprimere; quot roſtris & uncis avernalis milvus, candidam diſcerpere columbam ſatagebat. Cæpit indomita ferociùs ſtridere bellua; & in Sanctæ præſentia Virginis, rabie elephas deſævire. Dignumnè foret? decernite! in iſtius vota ſanctam inclinari Fortunam? cujus tantummodo venuſtatem corporis, carnalis vultur expetebat. Dignumné foret in ſocia vitæ jurare, & conſentire officia? qui mundiſſima virgineæ dotis Bona prodigali animo, & luxu prætendebat invadiare. Ergò inſupportabilia Maximine præſumis jacere in Fortunam ſcommata? malo tuo faventiſſimam tractari peſſimè, conſultum comem in vultu, blandam in ſupercilio, ſerenam in fronte, non fucatam in verbo: aſperis exagitari modis placitum? ſi dignitas ſvadet? ſi humanitas dictat? ſi ratio urget? ſi coronatæ vitæ convincat, & evincat æſtimatio? Fortunam tuam reverenter habe. Time,

me, time tibi Maximine! graviſſima in ruinam incitari fata! qui Fortunam deſpexiſti. Time merita in facto ſupplicia! qui ſupremam injurijs ſortem affeciſti. Time tuæ interitum gloriæ! qui odia ad extinctionem Fortunæ ſuccendiſti. Fortunam in regio ſalutâſti congreſſu, quam non merebaris; vidiſti tuis objectam obtutibus, quam non dignabaris; tenuiſti libens, quam aſpernabaris. Maximine time! & cæcâ libidinis captus phlebotomiâ, vide! quid Romana trabeati Oratoris tibi præſagiant volumina? glorioſi quid doceant Arpinatis manes? *Quos plurimis beneficijs ornavit Fortuna? ad duriores damnat caſus, & reſervat.* Ferum gratijs leniebat animum, non ſenſiſti? affabili ridebat aſpectu, non vidiſti? optima bonorum precabatur & providebat augmenta, non intellexiſti? cernes offenſam! & dolebis; conſpicies læſam! & lancinaberis; experieris aſperam! & lugebis; ſublatam è vivis intueberis! & enormi fato occumbes. Dolendum ſanè! quòd

multis annis quæſita Fortuna, unius diſpendio horæ, impiè prodigitur! ſceleſtiſſimè abigitur. Dolendum Maximine! quod adeò brevem magni favoris Fortunam, damno tuo, omnium incommodo effeceris. Time Imperator! *Rara Fortuna eſt abſq; infortunij appendice*; amabis? favebit; contemnes? puniet; lædes? caſtigabit; ſacrilego, cultam profanabis auſu? ſuppliciabit; ejus in integritatem delinques? ad infortuniorum vulcaniam condemnabit. Sed quò jam ſtolida in ambitu, ſe reflectat potentia! extorquere nititur: quod prece non obtinuit; vi armorum cogere in obſequia arbitratur Fortunam, quæ dexteritatem manibus, robur pectori, ſucceſſum ferro, præliaribus ſerenum aquilis, generoſos Heroibus animos, donat, inſpirat, indulget, & concedit. Carnifices nervos intendis CATHARINÆ ad ſupplicia? audies votis ſymphoniam diſcors; gemes, gemes in orbis theatro ludicre hiſtrio! Cythara hæc, quæ ſingulis admodulatur jucundiùs; diſſono venarũ lacera-

ta contextu, versa in luctum, Tibi fatidicū præcinet melos, & præludet. Enses, trabes, equuleos, Fortunæ oggeris? Tuis malorum scrutinijs defecisti; quibus dùm nocere velis, profuisti; dùm tollere ambis! obfirmâsti; dùm supplantare studueris? pulchriùs vernare facies; dum vitiare probris, in omnium æstimatione persvasum habes? pretium eidem concilias; maximè quòd sveto prodigio: *infima summis, summa infimis, Fortuna hæc mutare gaudet.* Habe jam exploratumMaximine! *Romani Populi*,(aut paucissimis Authori discrepabo Verbis;) *Orthodoxi Populi, CATHARINAM Christianitatis Fortunam, semper magnam, semper in malis longè Majorem.* Graviùs deliras vesane furiarum Puer! an virgis CATHARINAM terreri putas? Fortunaest: prima Dynastarum, quæ terret, & proterit capita; sceptra eripit, imperia negat; trophæa, repetit indignè tractantibus. An aperto Marte, in fauces, & thermopylas angustiarum redigi CATHARINAM intelligis? Fortuna est;

Gradivum, Bellonam, Mavortem, pridem favoribus, pridem ſuis gratijs reddidit ſtipendiarios; pridem in nervo belli non inermes non enerves. An inſtructo uncis, dentibusq; ferreis, rotarum apparatu CATHARINÆ è propoſito movere, & imminuere conſtantiam ſatagis? Fortuna eſt, ſed Chriſto ſociata intimiùs; ita angulari Lapidi, id eſt, principaliſſimo totius Eccleſiæ inhæret firmamento; ut nec cum motu cæli, nec cum occaſu aſtrorum, nec cum ruina terræ, nec ad Acherontis tempeſtatem, mobilitatem animi patiatur. Preme tenebris! extingve ergaſtulis! conſume macie! inquina fame! exoſſa tormentis! deartua bipenni! hauſto cruoris edulio magni ſpiritus exanima Virginem! è libro viventium tolle, & erade nomen! Maximine tua errata corrige! CATHARINA nota DEO, nota Angelis, nota hominibus. Fortuna eſt. Accenſetis? ſubſiſto; dubitatis? proſequor; veritatem exploratis? pareo. Squallet inter umbras; ſi dicere liceat; animo, vul-

tu,

tu, ſemper ſerena Virgo; ſtringebatur compede, arcebatur catenis, verbo, facto, imperio liberrima. Lugetis hanc miſerè tractari, & mancipari Charitem? indoletis adeò calamitoſis ejuſdem vicibus? bono animo Auditor eſto: latet quidem damnata ad latibulum CATHARINA! ſed non ignota; cui præter Angelorum familiaritatem, Auguſta orientis Domina, Conſors Imperij Regnatrix, vigil ad oſtium, prompta ad nutus, ad verbum obſequioſa, ſuâ tunc felicitate major, famulabatur. Vincitur preſſis, & arctis rudentibus! ſed non infelix; cui in excubijs Ducis dùm parent clavæ; cælũ palmas; victus in filo veritatis à Virgine Porphyrius, immortales adoreas; victrix CATHARINA, trophæa gloriæ aggregavit. Adorate tantorum præmiorum Fortunam! quæ ſua etiam calamitate, omnibus proſpera, omnibus Fortunata. Diſcite Fortunam tantarũ documento rerum gratioſam! Fortunam deſcite, univerſaliſſimo orbis totius præceptore Iuſtiniano! & ex do-

ctrina

ctrina clariùs, ex effectu evidentiùs, inferte, concludite Auditores: dùm, *quò Fortunam inclinari, & vergi; eò etiam favores hominum contendere animadvertitis.* Iurant jam in verba Magistræ, laureata humanæ scientiæ capita, & dùm ejusdem operâ, ad sublimium elevantur intelligentiã; In CATHARINA Divinam adorant sapientiam; sapientiam, dùm intuentur Divinam: aut è veteri Gymnosophystarum testimonio: Fortunam dictam olim sapientiam; aut novo instituti prodigio, CATHARINÆ sapientiam *Universæ Christianitatis Fortunam* declarant, prædicant, & confirmant. Congerite jam in unum Aquinaticas Theologici Palinuri summas! has ingeniorum inopiæ, has in munere dives profudit Fortuna CATHARINA. Pauperes olim è philosophorum instituto vestras Stoæ excutite penulas! scientiæ gazis, amplissima implevit Fortuna CATHARINA. Scrutemini eloquentiæ latifundia, studiosi Mercurij! gemmis, adamantibus, cæteroq; elegan-

tia

tiarum apparatu ſolidioris doctrinæ maxima nobilitavit Fortuna, CATHARINA. Dicite Palladia Pubes! quot literarum crepundià, veſtræ indulſit, & conceſſit teneritudini CATHARINA? ſolidiſſimo optimæ inſtitutionis egebatis cibo; permiſit ad ſatietatem; primis ubera labijs, parentis preſſiſtis Minervæ? CATHARINA lac propinavit, à corde intimum; à capite depluum innocentiæ. Dicite! & dictis certam præſtabitis fidem; dùm cæpto cultu, inſtitutâ religione, praxi ſolitâ, CATHARINAM, veſtram, totiuſq; Chriſtianitatis Fortunam adorabitis.

Panegyricus Divæ CATHARINÆ V. & M. ſub ſchemate, Fortiſſima Amazon Arte & Marte, pro Rege Regum, lege & Patria dimicans.

AD bella probè enutriti animi, lautiora Epicureæ prodigalitatis nauſeant bellaria;

ria; & quos in primo vitæ instanti, ad aras Bellona obtulerat cultu; his si quandò triumphales Gradivi flammas, altissima pacis suppressit temperies; hoc ipso, publicâ injuriâ, & detrimento, non minimam vitalis caloris portionem iisdem adimit, & derogat bono suo infestissima. A. S. Odit quippe vanissima ludicræ blandimenta sortis, strenuus quispiam Achilles, quem fæcunda Thetydis viscera, ad captanda prælia, non Capuani lenocinij capessenda præmia; ad elidenda, & eluxanda hostium stratagemata, non emulgenda tragemata; acrioribus magnanimiter tractandis negotijs, non turpi assvetudine trahendis otijs in lucem profuderunt. Profectò serenissimo eminentissimi ortûs rectè quisq; glorietur meridie; cui inter præliares clarescenti æstus, inter belli fragores, & fulmina calescenti: conjuratas Fatorum elidenti injurias, ab arduo impetu, ad umbram quietis ne ungve contigit declinâsse. Vix cunis, Diva tantâ propagine Alcmena Parens

excepit natum: jam bellicos dexterè noverat manu rotare cuneos; acuere ferrum; versare chalybem; premere capulum, induere sagum, minari interitum, accelerare trophæa, industriosus armorum edocuit amor; necdùm infantili organo mansvetiorem formaverat vocem, jam stomachante horridus entheo barbaras attonuit acies; necdum reptante passu, per colla & sinum Matris serpere didicit, jam cæco in arma ruere impetu, Iunoniam elidere ferociam, novercam invidiæ excutere manum, exactissima imbelli Pusioni, ars virtusq; superarat, in hæc luctarum officia dexterrimo. Hæccine sint tenelli nutrimenta ævi, à primo vitæ exortu, Prodromum posthumæ lucis Phosphorum, hausto, & fuso rubere sanguine? aut stratis hostium inescari cædibus? vilescunt adeò clementioris naturæ in lacte propinata edulia, forti animo; qui inter cruda fatorum obsonia intendit epulari. Sic invisâ, & indignabundâ quondam tulerat fronte, armorum fomes Ma-

cedo, quod inter materni clauſtri diutiùs latuiſſet compages; vim ipſi naturæ inferre cupijt, vel tarda genituræ ulciſcens molimina, vel ut extra ergaſtulum prodiens, Præliaribus aquilis, jam dudùm ſuum ex oraculo præſtolantibus ortum; aſſociaretur. Flamma Heroum animus eſt: ſub modio occuli nequit; vi totâ ad apricum gloriæ connititur. Fulmen eſt, nubiloſas cæli domeſtici elidit, & excutit umbras; ne ſibi quidpiam ad lucem obſtitiſſet honoris, & obeſſet. Saluberrimum germen eſt, erumpit in herbam, & in flore matureſcit. Ad arma, ad arma generoſa Lechiadûm Pubes! ſacratiorem litui clangunt Martem; vos arma tractare decet, quibus hæc virtus, & avitæ, pulcherrimus naturæ ordo, non priùs ad primitivam Gloriæ aſpirare lucẽ; niſi mavortios inter æſtus, vivaciores Salamandræ arſeritis. Vicina ſemper Minervæ Gradivi caſtra, à Palladia arundine, ferro aptanda manus; à Palæſtrico cinere, ad pyrios virtus inflammanda pulveres; &

quem

quem in cote animum, durior eruditi ſty-
li acuerat labor; ſub galea fulgere par eſt.
Non metricis tantũmodò pedibus, gloriæ
emetienda faſtigia: nervoſo quoq; ad ſumma
connitendum paſſu. Vibrate ingenij aci-
em! pro ſcuto, umbone, lorica, Sparthano
pectus vallate munimine! pro Belli machi-
nis, infractum admovete animum! pro
globorum tormentariorum copia, excoctas
in paginam rotate periodos! pro validiſ-
ſimis triariorum arietibus, leonem ma-
gnanimitatem Academicis è Lucis repro-
ducite. Bella, bella ſonant claſſica! tor-
quete acumina! ſtylos non hebetes in me-
dium conſerite, Præliarem CATHARINA
involat arenam, quidni tanto ſub nomine
& honore, nos congredi expediat? oble-
ctet dimicare. Conſpicite *Fortiſſimam A-
mazonem, arte & Marte, pro Re-
gum Rege fortiter; pro dilecta nunquàm inte-
rituræ Beatitudinis Patriâ, animosè; pro Di-
vinarum immunitate legum, intrepidè; pro
Principe Innocentiæ ſuæ Purpura, ſtenuiſ-*

ſimè decertantem. Vos ad hæc prælia invito Auditores: magnorum Nominum Mars eget præſidio, Non etenim ipsâ Heroum manu parta, ſtant diu trophæa; niſi Conſilijs Catonum ſolidentur. Exardeſcite inter victores CATHARINÆ ignes! meq; audentem maxima, veſtri obtentu favoris, hos inter ſtyli agones, verborum conflictus, affectuum certamina, communite.

Imbelli adnumerari ſexui, & vigiles exſuperare animos, ſupra creatum prodigiũ eſt! niſi ea agi, quæ mortalium ultrà fidem diſtulit iudicium, non molis corporeæ, ſed virtutis officium, certò conſtet. Audit, Sap: Squallet nitidiſſimus ſub teſta unio: nec imbibitæ jacturam patitur gratiæ; ſub Alpium concavo, auri fulgor atro inumbratur cinere: & in ſui pretium exardeſcit; ſalſugine maris maceratur adamas, nec ad vota diffluit emollitus; non arcetur externo artuum, activiſſima generoſæ indolis præſentia: quæ robur impotentiæ uſitatiſſimo virtutum ſupplet beneficio. Vir-

gineo quid obstat statui, armaturam fortium enervi tractare humero? & quos ad colum communis damnavit assertio, plerumq; demetendis collis, incollisa virtutis solertia elevavit. Vidit, stupuitq; orbis: quid suo ejusmodi sexus valeat robore? & quod in Penthesileis Scythia: in Argivis Græcia, in Sabinis Latium, in Lacænis celebravit Spartha: id jam ipsum majore miraculi celebritate, virtutum encomio suspexit Alexandria, admirati Quirites, Christianus Orbis, nunquàm limitando sæculorum tractu, suscepit adorandum in CATHARINA religiosiùs. Si jam publicæ vocis id constat oraculo; Belli nervum esse pecuniam; certò certiùs non evitandâ præliorum clade, rixarum jurgijq; fomentum, cujusvis Helenæ formam affirmabitis. Furit immanitate in Acheloum Alcides; flammat in Paridem Menelaus; in Æneam exardescit Turnus; in Lycurgum scintillat Pelops; in CATHARINAM suorum contemptricem votorum, odio armatur Maximinus.

nus. Quæ demùm amoris fertilitas? spinas, tribulos, carduos, senticeta irarum parturit; dùm inter rosas amænus; inter lilia floridus; inter gemmas electus; inter opes dives; sui despectu sterilescit. Amor amoris dux est: ni sequi libeat? sævit perimitq;. Amor amoris flamma est, urit si non accendit. Amor amoris semen est, ni florem affectuum legat? amæniorem facilè succidit Daphnidem, & supplantat. Vulgaverat olim omni stentore vocalior fama divinas penè Alexandrinæ Pandoræ dotes; explicuit rarissima naturæ charismata; purpurata affinium trabearum proposuit insignia: Niliacam opum fortunæq; laudavit & prodidit fæcunditatem, & quidquid Avitæ ad ostentationem Gloriæ virgineus possedit mundus totum ex asse, rarissimo laudum penicillo, in tabulis sive vivissimis cordiũ simulacris annotavit. Et jam Principes istius æstimatione obæravit ædes; jam Palatinos infascinavit animos, omnium amores dementavit. Ipsius tandem

dem Monarchæ insolenti præsentat genio, Angelicam CATHARINÆ speciem, pronissimæ in illecebrosos amores menti, promptissimis in hæc illicia obtutibus imprimendo. Cave tibi CATHARINA! imò metue tibi fortissima Amazon! eò periculosior pugna est, quò ab æstu belli remotior. Fædera poscit: parat prælia; amores devovet: exagitat odia; spondet affectus: furores instruit; vultûs comitatem simulat: ferociam palliat; liberali sinu profundit monilia: ut naufragam ducat in captivitate Innocentiam; gemmas, adamantes differit: ut florem Vrginei metat lilieti; manus per aras, per sacra devovet: in arrham pronus offert amicitiæ: ut palmam legat incorruptæ probitatis. Time CATHARNA! gravius certamen est, quò lenius apparatur. Aureos vides objectari torques? expavesce compedes! vermiculatas profundi cernis murænulas? excute cippos! ad Imperatoriū svavijs alliceris conclave? fuge honestatis ergastulum! abominare carceres! Inno-

centis animæ fuge carnificinam. Viderat Maximinus ſignatam comptiſſimi majeſtatem corporis: cujus venuſtas & decor, amænam oculis celebraverat ſcenam; innubi frontis jubare, gemino oculorum ſole, ſerenior Phæbe, cæteras in ſui comparatione Charites, ad Plejadas condemnaverat. Viderat cæco captus deſiderio: impudenti exoculatus ſalaciâ, Orientis Sol, Imperij pupilla Maximinus: cujus genarum roſis, cervicis hyacintho, palmarem Nymphæ cædebant & concedebant herbam; viderat lynx in ſui damna perniciosior: cujus Riphæâ ſplendidiùs nive promicabat facies; labia ardebant corallo; os ebore fulgurabat. Viderat, cujus animus omni adamante carior: conſtantia gemmis, auroq; præſtantior, apparebat. Et hæc ingenti defixos admiratione, Tyranni cogitatus torquebant immaniter; lancinabant immaniùs; cruciabant immaniſſimè. Viderat ille, dignã Cæſaris connubio ſponſam; quã & Illuſtres Atavorum ceræ, Sereniſſimam; & Auguſtorum virtute

Aboriginum, Inclytiſſimam; & ampliſſimis Urbium, Provinciarum Hæreditatibus, locupletiſſimam; parem Imperatorio thalamo commendabant. Viderat non poſtrema publicæ incrementa gazæ; Dalmathicos auri acervos; in gemmis apparatum; in Palatijs decus mygdoniò tabulatum ære; hinc pyropo ardere laquearia, illinc ſolido adamante fulgere poſtes, mïro animi cum gaudio, tenendæ deſiderio ſortis, vidit, arſit, palpavit. Jllâ, illâ demùm venuſtate vultûs, auguſtiſſimæ Familiæ dote, divite opum portione, Cyprias in corde flammas, vehementē ſpecioſiſſimi ſangvinis orexim & ſitim, avariſſimam coacervandarum rerum mentem, indomita affectuum ſuccendit Phlægra; excitavit Hymen; Plutus injecit Maximino. Nec ultrà jam patitur tantis illectus bonis, prolixam in votis amor moram; omne deliberantis animi damnat interſtitium, ſuam impotens ferre & cohibere violentiam. Progreditur pulcherrimo Gratiarum ſtipatus comitatu;

leporum conditus salibus; voluptuosâ verborum instructus panegyri Imperatorius favor; loquitur mella, & condit fella; undiq; perniciosa blandimentis spirat irritamenta, quorum importuno assultu, munitissimum dùm impetit pectus, mentis propugnaculum nititur expugnare. Et jam augustæ fortunæ objectu, gazophylacij illicio, affectuum larvâ, amorum præsentiâ, Gratiarum mendacio, suas in partes pellicere CATHARINAM cupijt: Illa primitivo intenta amori, illecebrosi beneficij magnalia, contorto ad nubila supercilio reprimebat, contemnebat, despiciebat. Iam summa Imperatoriæ Authoritatis Præeminentia, ad honorum evehere fastigia, & in sua reluctantem vota, faciliùs pertrahere pollicebatur: Jlla collatis Regis Regũ dives & excelsa fascibus, abjectioris elegantiam fastûs pessumdabat, deprimebat. Jam proprij objectu amoris, ab Amato avellere cupiens, maritales spondet accendere tædas: Jlla tenerrimũ amoris professa

vincu-

vinculum, in annulo desponsatæ sacramentum fidelitatis præsentabat. Audire licuit, infascinatorem Tyranni animum, his liberrimè ab ea argui verbis: argumentis corripi; videre fuit, veluti trisulco fulmine, Imperatoriam lædi & affici serenitatem; quòd è placidissimo Virginei vultûs cælo, ad comprimendum gygantis malitiæ tumorem prodijt, erupit, evasit. Quid agis Tyranne? vana fortunæ oblectamenta, favorum mendacia, probrosa amoris illicia, quia illicita, meo oggeris animo? contumeliæ genus id esse reor: puerilibus hisce me velle capi crepundijs! palmare scelus arbitror: semel datam Numini fidem infringere, & retractare. Plebeij animi vitium est: regiæ eminentiæ virtutem, objectis auri captam venabulis, impietati facere mercenariam. Nullam ego augustiorem censeo purpuram, quàm verecundi candoris muricem; nullum fortunatiùs offerri credo dominium, quàm dùm in libertatem filiorum DEI electus animus, nec oppressæ

novit anguſtias conſcientiæ, nec impiæ jugum ſervitutis. Paludamentum gloriæ, non Purpuram humeris meis adaptavit Innocentia; dùm nihil in me invenerit, virgineus quod erubeſceret cãdor ! nihil, quô frontis meæ majeſtas, velùt minimis etiã confuſa atomis profanaretur. Jllud ego nobiliſſimum amorum, & animorum exiſtimo fœdus: quod intimè me ſoli conjungat DEO; feſtiviora nulla duco tripudia: quàm quæ cælæſtis Hymæn excitavit. Crediderís Maximine ? unum mihi lætitiæ ſupereſſe argumentum, quod & ipſis Cælitibus applaudendi. Congere jam digeſtas honorum officinas ! auguſta coronatorum congere decora ! congere gemmas ! adamantes funde ! protende monilia ! religioſiore hæc calco & protero faſtu, reprobo & condemno. Jllos hæc aggregato excolant apparatu: quibus vilis & inops animus; Illis terreſtres Phàëtontes, ſolijs & faſcibus augeant jubar: quibus nullum gloriæ lumen, conceſſit cælum & revelavit;

illis

illis Regnatrices arrideant virgæ: qui, ut umbroſis ejuſmodi palmetis, enormem tantummodò pallient, foveant, non caſtigent vecordiam: prætendunt, & exoptant. Ergo Maximine, quæ ſpondes connubia: velim revoces; ergo quos armas affectus: exagitas tædia: incendis odia: proponis faſtigia: mulces faſtidia: velim coërceas; illius pectori nefandum inſere amorem! à quo opimam affectuum ſegetem & meſſem, te ſperas relaturum; illi hos ignes admove! cujus hæc flamma pectus correptura; illi feſtivo pedemate celera apparare nuptias! quæ ad tuos illices proſiliet advocata. Cerne Orbis! abſtupeſce Alexandria! lingvæ errorem revoco: ſtupete gentes! admiremini populi infractum virginei propoſiti robur! mixti verborũ Æthefijs perflant Favonij: non molleſcit; gratiarum fomenta, intima ſuccendunt præcordia: non igneſcit; ignes ſpirant oculi: fulmina accendunt labia: tonitrua exaſperant minæ: extingvit, elidit, non pavet; optimæ promontorium

ſpei,

ſpei, ſalaces Maximini inſultus retudit, repreſſit, enervavit. Stupete Cæli! invictiſſimæ virtutis ſuſpicite magnanimitatem! talibus olim crepundijs dementatæ Helenæ, illicijs captæ Proſerpinæ, promiſſis circumventæ Cynthiæ, amoribus ſuppliciatæ Medeæ, vinctæ pollicitis, & victæ Dejaniræ duci, trahi, rapi, comprehendi in comitatum poterant; CATHARINA nec allici. Talibus olim cupedijs, fortitudine Samſon, ſapientiâ Salomon, generoſis conatibus Annibal, integritate Hyppolytus obrui, eluxari, dehoneſtari poterant; CATHARINA fortiſſima Amazon ne moveri. Siccine jam abſq; palma incæſtuoſe Hector, abſq; fænore Theſeu, abſq; votorum ſucceſſu Ithace, ſuper Paphias ſalebrarum innatabis voragines? abſq; affectuum lucro & ſpolio, victe non victor Maximine, ad propria remeabis limina? nihil blandis verborum promiſſis, nihil largiſſimis divitiarum opibus prorsùs evicturus. Neſciveras amorem orbatum lumine: comptas non videt gra-

tias,

tias, non diſcernit opes, Sybarithica non intuetur lenocinia. Surdeſcit plerumq; amor: ad doloſæ incantamenta Syrenis, non reſerat aures. Obmuteſcit Amor: tunc vocalis, cùm liquidus; dùm liquidus, congeſtos divitiarum acervos, fugientis adinſtar undæ præterlabitur. Hinc jam alis, jam talarijs ſtadiodromus connititur amor: nec ullis inſidiarum caſſibus irretitur. Sic ad pharetram & arcum, vigil exercet manum: ut vim vi reprimat, tela telis, pila minantia pilis retundat, & domitorem ad incitas & ſtragem, redigat animum. Mella ignave puer infantibus obijce! gynecæis roſas, Heliogabalis ſvade delicias! minimè verò *CATHARINÆ*; quæ ſub melle fel, ſub roſa ſpinas, ſub voluptatis pallio tormentorum cataſtas, videt non ignara, ſentit, ſed illæſa: diſcernit, ſed non experta: damnat ad interitum, nullo corrupta præjudicio. Quid adhæc ſimulata favore immanitas? fremit barbarè; ringiturערociter; debacchatur truculentiſſimè. Actum eſt

Auditores, ſpectate! quæ facies rerum? quod Hircanâ enutritum ſpecu excandeſcit monſtrum? quæ repentina Fortunæ mutatio? actum eſt: mentiti aliquantiſper Cæſaris favores, in furores: amores, in amarores: blandi riſus, in baſiliſci viſus: improbâ, turpi metamorphoſi abierunt. Nutrit incendia ſulphur; affuſum flammas auget electrum; avernale Lamias exagitat flagellum furias; CATHARINÆ ſenſus morem non gerens Imperatori, ſævitiæ, truculentiæ, tyrannidis fuerat alimentum. Aperto tandem congreditur Marte; quæ cunctanter nequijt extorquere. Bonis Innocentiam ſtabilibus vi exuere parat, & contendit: qui nihil prece exoravit. Superba res amor eſt: contemptum, injurias infamis ſibi apparari judicat, dùm illicita videt denegari. Actũ eſt: contremiſce terra! fulmineas in vindictam ſidera accendite machinas! innodatur vinculis, ſtat mente liberrima CATHARINA; aſperrimè bubulis conciditur nervis, nec enervatur; undiq; hyperboreo

ſævien-

ſævientis Mezentij afflatur terriculamento, nec remiſſo fervet, & flagrat amore. Validiſſima febris amor eſt: quem tandem vel ſemel corripuerit, nullis unquàm remedijs corripitur, nevè temperatur. Vide Maximine! quid agas? cor tuum ſaucias, viſcera laceras, Imperatorum neptem, Regum, Principum, Comitum, lectiſſimam interficis ſobolem? vide Maximine! è ſponſa Medeam; è dilecta infeſtam Prognen; è libera captivam; è domina mancipium; è Principe mediaſtinam; ex innocente ream; è virtutũ Charite, ſupplicem facis; vide Maximine! turrim dediſti: cui cor debueras; teneros, & arctiſſimos merebatur complexus, injeciſti compedes; promptiſſima ſpondebas obſequia, injurias accelerâſti & anguſtias. Vide Maximine! an CATHARINAM ignoras? an Principem Gratiarum neſcis? an affectûs tui Imperatricem non ſentis? illa eſt: quæ ſpelæo macilenta premitur; illa eſt: quæ livida in compede ſqualles; illa eſt: quæ extincta pallet fame; palleat, prema-

tur, ſqualleat, indigna Imperatorum clementiâ, quæ crudelem amori impreſſit, inuſſit lanienam. Nihil agis barbare leno; in plena ſereniſſimorum titulorum auge, nihil obſcure excogitas tenebrio; mediterraneo, dignam in aſtra referri Virginem, torques carcere: vivam intumulas ſepulchro, caligine premis, examinas plagis, exanimas tormentis truculentiſſimus. Actum agis Maximine! virtus meridionalem ſibi inter latibula accendit lucem: tunc eminentiſſimos magis ſolita ſpargere & intendere radios, ubi nubila opponi ſentiat malignius è diametro. Vigiliarum cuneis, probitatum gynecæum, virtutum Parthenonem, virginis circumſcripſiſti conclave, ut vel ità faciliùs, dempto mortalium conſortio, impedito amicorum alloquio, ſegregatis tribulium miniſterijs, ſubtractis vitæ officijs, ipsâ tandem oppreſſam inediâ, votis redderes obſequentem. Nihil agis inconſulte furor! CATHARINÆ denegas miniſtrari cibaria? at non prohibes; hominum alloquia

quia impedis? aſt cæleſtium vernarum frequentiam non exterminas; vigiles ad injuriam inſtauras excubias? non tamen arcere ſufficis, cui Navis Inſtitoris Maria, è longinquâ regione deferens panem, ſecundiſſimis Gratiarum circumamicta Favonijs, ad Virginis influit ſolatia, ad uſus illabitur vitaliſſimos. Habet jam, quò ſuam reficiat mentem, exſatiet famem, tollat inediam, orexim temperet, attritas erigat vires, Empyreæ videlicèt refecta promulſide ſvavitatis. Habet jam, quô anxios ſoletur affectus, vincat pavorem, metum ſuperet, eliminet tædia, conſundat odia, inviſa reprimat ſtratagemata. Adeſt Cæleſtis Paranymphus: qui dilectam ſibi profuſiſſimo Gratiarum lactet edulio; adeſt Armatura Fortium: quæ intentatos infringat motus, componat impulſus, retundat violentiam. Adeſt Auguſtiſſima Imperatrix cælorum, & ne quidpiam, in ea rerum diſplicentia deſiperet CATHARINÆ, oleum effuſum in Nomine ſuo, ſivè condiendis malorum cruditatibus,

ſive obligandis, cicatricibus, ſive inungendis vulneribus, beneficum & accommodū miniſtravit. Hinc jam tantâ favorum portione refectis viribus, futuræ victoriæ certiſſima Amazon, Maximinum ad prælia evocat, Tyrannum ad tormenta incendit, ſuis dominari impotentem appetentijs, inviĉtiſſimâ exagitat conſtantiâ; quorum optima auguria, cælеſti ex alite, ſtatis videlicèt in die horis ſeſe viſitante, præconcepit. Arcam ſalutis, id ipſum carceris ſupponite antrum: ad quod beatæ pacis oleas, in coronamentum virginis cæſariei ancillans Columba referebat. Quoddam religioſioris Veſtæ ſacrarium credite! in quo ipſum cælum, inter inextinctas lucis flammas, amoris ſacrificium devovebat. Amæniſſimum incorrupti viroris, id eſt perfectiſſimis Paradiſi gemmantem gratijs lucum: in quo deſolatiſſimæ turturi, par nullâ innocentiæ alienū ſpecie, jungebatur. Irrugijt omni ſævior tygride, barbarus ad id claſſicum Imperator: futuræ pugnæ certior, amittendæ pal-

mæ

mæ certiſſimus; & ne palàm ſe victum fateri cogeretur, quod tacito admodùm dolebat ſenſu, recogitabat animo; Sapientum Senatum congregat, conſcribit exercitum, inſtruit furias, ut non minùs conſilijs, quã armis, labefactandæ gloriæ provideretur. Inſtruitur ſangvinaria acies: enſes, virgæ, cataſtæ, jacula, ſcorpiones, violentiſſimi furoris diſponuntur dictamine, ut vel his mens territa Amazonis, palmam inviolatæ fidei offerret, concederet ante victoriam. Progredere virili animoſior paſſu, nomine non viribus Hectoribus diſcrepans! Progredere ſacratior Iudith! ſentiat Tyrannus Virginei robur pectoris, quod mollioribus affectuum arietibus impetebat Progredere puſilli gregis Chriſti Anteſignana! campus hic: non minùs verberum, quàm verbenarum ferax, ad tuum fæcundiùs revireſcet ingreſſum; acies hæc, factorum non fatorum, poſthumæ ætati immortalia aperiet monumenta; caſtra hæc, tuis victoriarum nobilitata ſignis, vero Numini jubilum, tuæ tro-

phæa

phæa accinent gloriæ. Hæc ſcilicèt arena, Immortalitatis tuæ theatrum eſt: Maximino Ætna, Veſuvius, tormentorum feraciſſimus reſeratur. Exquiſitiſſimo inſtructæ apparatu Philoſophantium non terreant fallaciæ, mens recti tenax conſilij, ejuſmodi technas reſolvet ad contumeliam. Conſpicite ſagaciſſimo animi intuitu: non eget ſtimulis, verborum non expoſcit hortamenta, ultrà gloriæ metas, victoriarum terminos, contendens ſtudioſiùs CATHARINA. Involat Sapientum exedras, ſcientificorū impugnat pulpita & roſtra, pro campeſtribus tentorijs & papilionibus, faſtuoſam in ijſdem hoſtium confundit proterviam, ac ſupernaturalis ſcientiæ lumine, tenebras, caliginem profligat malè ſentientium. Certatum fuit ingeniorum acie perquàm acerrimè: fide tamen obſtricta meritis CATHARINÆ victoria, adverſorum in caſtra nequijt inſolenter reſilire. Inſtruebant vertumni, idonea ſenſui voluptatum dilemmata: ut ad erroneum ſacratiorem Atalan-

talan-

talantam inducentes bivium, ad desiderio-rum metam, tantâ successuum varietate faciliùs impellerent. Objectabant in forma, verùm informia dæliciarum argumenta, capitales in mali sententia, ast minùs capitosi Epicurei: ut dolosis circumventam præmissis, irretitam fraudibus, captam terminis, è concessis ad sequelam inducerent absurdorum. Ità cornutis adeò arietabant syllogismis, avernalium caprorum sequestri: CATHARINA non concidit; nec ad lubricum gloriæ inclinavit. Puduit tandem illa quinquagena Orientis numina, celeberrima sapientiæ miracula, ampliùs sophystas agere; quippè eruditione, famâ, scientiâ, depontanâq; verticis majestate grandævos; quos in puerili emendatos errore, ad Æternæ cognitionem Veritatis deduxit CATHARINA. Iam summarum scientiarum Arbitram, quis ambigat CATHARINAM? ubi tot tantosq; ab eadem, ad Beatorum promotos Theologiam discipulos, atq; immortalis comprehensores laureæ numeravimus. Nec-

dùm tamen ad tantæ veritatis lucem, obſtinata Maximini reſpexit cæcitas: verùm ut ſuam probroſiùs tueretur inſipientiam, in FERIO deſcendit in arenā argumentaturus. Hinc jam alias proponit Theſes, in quibus privationem vitæ decernens CATHARINÆ propriiſſimam, è ſapientum circo, ad rotas, cataſtas, equuleos, ipſiſſimam ſapientiam abſq; ullo rationis medio condemnavit. Sed mobili gyrantur in axe cæli: fixa ſtant ſolidè manentq; aſtra; fulminibus atteruntur Caucaſi: nec ſuâ decreſcunt proceritate; ſuppliciariis circumplexa rotis torquebatur CATHARINA : nec in ſuo vertiginem paſſa propoſito; aut à centro gloriæ defecit ſalutari. Triumphalem eidem Tyranne apparâſti diem, currum providiſti gloriæ: in quo, inter aggregatas Sapientum legiones, inter Porphyriani honoris clavas & clypeos, ſanctorum cupidiſſima votorũ, victrix CATHARINA, ad ſuprema properâſſet glorioſiùs Capitolia. Jllo demùm ad coronidē uſus Maximinus auſus Ixionis ro-

tas inſtruxit Virgini, quæ quia æternitatis ſymbolum ſunt: in his æternos CATHARINÆ triumphos futuros definivit; quia expreſſerunt circulum: certam in DEO ſtationem præſignavit; centrum omnium laborum, trophæorum, vigiliarum, ſive ſphæra & terminus, hæc rota fuerat: hinc etiam minùs caſtigatæ Oratoris ſvadæ, hæc ultima ſit periodus, dictionis punctum & epilogus.

Oratio in favorem Parthenicæ Sodalitatis Officialium, in publica eorum inauguratione dicta, ex adjunctis Avitorum Vtriusq; Moderatoris Inſigniū.

TRiumphate Parthenij! Virginei plaudite Cives! cælum gratiſſimis coronate votis! impendite victimas! implete hecatombas! quibus, in deſideria favorabile, in poſtulata gratioſum, in merita liberale, in

geſta propitium, in munera pronum, immenſis attributis gratiæ, Numen nobis ſemper ſupremum; ſemper intimum; ſemper ſecundum deprecemur. Triumphate incorruptæ Sodales gloriæ! intaminati honoris testes! & in Empyreum palmas, in ſuperos corda, in Genios Cæli, pijſſimos affectus, jam innocentis vitæ moribus; jam indefeſſo perfectionis ſtudio; jam publico meritorum exemplo; jam maximo veſtri, maximo omnium ſolatio & præmio, in hæc munia & munera faciles; in vectigalia proni; in cenſus non obſtinati; in tributa prodigalitate ſanctâ liberales; ſemper felices & proſperi attollite, congerite, ſacrificate. Triumphate Mariani Imperij Dinaſtæ, & ſatrapæ! plaudite Miniſtri! & jam primi hâc felicitate Proceres; ſubſultate iſtius obſequijs deditì! & jam ſummi, hoc privilegio gratiæ Optimates; jubila ducite & inſtruite, in juſſa Dominæ addicti ſervi! & jam hâc ſorte fortunatiſſimi in Orbe Principes; trophæa canite, libera & ſpontanea

in

in hac ſervitute mancipia! & jã primitivæ, ex indulto Cæli, libertatis Hæredes acceptiſſimi. Triumphate cuncti! plaudite univerſi! tubis, ſiſtris, buccinis, palmare clangite melos! & novis Dominantem in ſæcula, amorum gratate euchariſticis! nova omnia Facientem in tempore, Diſponentem ſvaviter, ſummâ Proſperantem felicitate, mente integrâ, indiviſis præcordijs, *Sodales Mariani* adorate. Magna hæc eſt noſtram, noſtræq; Principis in Monarchiam, Dexteræ Omnipotentis Dexteritas: quod nullo ſiniſtro caſu, hæc gravari Solia; nullâ fatorum notâ, has inquinari Mytras; nullo infelicitatis lapillo, hanc in bono principaliſſimo profanari Coronam; nulliſq; ad deteriùs labentibus annis, ad infima permittat præcipitari. Magna hæc eſt, in noſtra Virginei conſortia Dominij, Abſolutiſſimæ clementia Poteſtatis & affabilitas! quòd nec fructum ſterilitate afficiat; nec caſſis operum affligat manubijs; nec pulcherrimo claregeſtorum deſtituat gazophylacio; nec

fæcundâ frugi virorum exhauriat ubertate, jurata temporum in damna edacitas; quibus imperia feliciùs, ſolia pulchriùs, ſceptra venuſtiùs, miniſteria glorioſiùs Parthenia, impleri à juvenibus: fæcundari ab adoleſcentibus: conſummari à majoribus: perfici ab optimatibus: quævis ſub ſole viventiũ Regio vidit, ſtupuit, admirata. Magna hæc eſt in noſtræ principatum Dominæ, Altiſſimi Providentia! quòd digna mytris capita, ſceptris palmares dexteræ, aris numina, honorum majeſtati tenerrima affectibus pectora, faſcibus conſpicui, curuli magnanimi, ſubſellijs inviĉtiſſimi, maxima, quà ſplendore geneſis, quà claregeſtorum lumine, excitentur Phænomena; excitata oriantur; exorta affulgeant Orbi Mariano: jam cultibus obſequioſa; jam tantâ honorum ſerenitate proficua; jam auſpicatiſſimo in id cælum exortu fæcunda, pietate, amore, favorum beneficio liberaliſſima, pulchriùs in totius univerſi obtutibus horoſcopentur. Plaudite & triumphate, tantorũ

præmi-

præmiorum electi, & electores! & ad plenitudinem tripudij, ad augmentum ſolatij, ad implendorum certitudinem ſucceſſuum, jam in Avitis, cæli veſtrûmq; omnium voto electorum inſignibus, manifeſta felicitatis & gloriæ obſervate ſigna! jam in patritijs Candidatorum ceris, pulcherrima gratiæ notate myſteria! jam è magnorũ concurſu nominum, maxima explicate omina; & nihil eſt, quod ingentium expectationũ menſuræ, deſideriorum intento, abundiùs non ſatisfaciat, pleniſſimè non correſpondeat. Sequar ego officioſo comitatu, gentilitiæ viam Volucris: ut propoſiti inveniam terminum; modeſtiore ſpeculabor ſupercilio, perfectiſſima honorum aſtra: ut ſole clariorem intenti reddam veritatem. Annuite Benevolentiſſimi Auditores, & in ſũma eluctanti, gratioſiſſimos adſpirate Favonios; in ſydera torquenti pupillam, obtentum Gratiæ annuite.

Et Regnis finẽ & imperijs interitũ, & ſceptris caſũ, & ſolijs ruinã, Architecta Omnipotentiæ præfi-

præfixit manus: ità, ut nec horum integritas, nec illorum majeſtas, nec omniū conſummata felicitas, in via non luctetur purgativa; ſive poſt piaculares incendiorum æſtus, extincto cinere non rigeſcant. Omnia finem prætendunt, omnia terminū capeſſunt bona: vel ſuo criminoſa bono, vel in boni ſtaterâ diſſoluta. Imò ità ſolùm fortunæ deliguntur, & attolluntur bilance; ut congenitis officienda lancibus, notanda noxis, atterenda ærumnis, altiſſimis profundiùs ruinis defodienda. Nec ulla unqàm adeò proſpero ortu, regnorum erutilavit ſerenitas: ut inter illuſtrata cælo favente ſolia, mixtim adverſitatum conſpiſſari caliginem; inter fixos imperantium Planetarū polos, fatidicos miſceri, & addenſari cometas, non quereremur. Quoties jam ſuo ſuperbum ſepticollio Latium: toties in valle calamitatum miſerum; toties æquatum ſolo, ipsâ depreſſiùs, & humiliùs proceritate. Plura nec extant Orbis decora, quæ è ruderum injuria magnum attollant caput; famam primiti-

mitivamq; gloriam, tragico vindicent cinere insepultam. Sic clarissimas Athenarum prærogativas, nisi vastissima earum monumenta docent; cætera exitiali in pulvere, nec quodpiam refricandæ memoriæ vestigium impresserunt. Æmula olim Quiritibus Carthago vel atræ arvorum filia glebæ; vel Parens effecta lapparum fertilissima. Avita deniq; Danaûm trophæa, nisi mollior erudiret pagina, & nomen tot inclytum adoreis interiret. Quidquid sub sole enituerat clarum? ipsâ fædiùs renidet claritate; quidquid æmulis turrium, ædiumq; tholis ad cæli consurrexerat viciniam? ima tenet, profunda occupat, abyssali conterminum centro, gravissimâ in ruinam actum levitate. Ità magnorum felicitas, in ipso prosperorum ascensu, tacitâ excessuū urget vehementiâ. Alijs jam meridies gloriæ fædâ funestatus ecclipsi; pluribus Oriens noctem induxit intempestam; occasus lucis quæsitæ magnoq; claregesti conceptæ sereno, nemini alienus. Unicam virginem in orbe, vir-

 ginei

ginei Imperij, adeò felicem intuemur Monarchiam; ut nec fatorum laceſſita aſſultu, in integritate violari, nec in ſpecie corrumpi noverit, edaciſſimâ dierum, & temporum vetuſtate. Ignorant quippè hæc interitum ſubire decora, quæ Principem à caſu & lapſu habent alienam. Ignorant hæc Regna, jurata hoſtium caſtra, Dominam nacta perenni in fædere potentiſſimam. Pulchrior proinde oleis & laureis hæc Florentia eſt, (noſtri Parthenij Provinciam loquor;) quam fragrantiſſimæ felicitatis undiq; ambit, undiq; ſtipat apparatus; nempe, in Paradiſo Gratiæ MARIA exquiſitus. Non novit intra aſylum hoc, collectus exul & civis, convulſam deplorare Fortunam; non novit ſpem palmæ amittere, innocentiſſimus *Caſtrorum aciei ordinatæ* ſatelles: aut ad lugubre Vaticinantis præſagium, animo vacillare & cadere: *omnes muri tui deſtructi*, ubi inconcuſſa mænia, in Mariani firmamento honoris, ſuæ prætendit imbecillitati, & indemnitati. Non eſt, quod in hac dicti-

ditione obliquum notet mundus? non eſt, quod publici ſannis afficiant & explodant cenſores? quam gratiæ infinitæ dotibus, *unigena Altiſſimi Filia*, nobilitavit. Verè jam *Hæreditas Sancta*, conſonis omnium declarari meretur idiomatibus: in quam peccare indultum nemini,nemini conceſſum violentiæ. *Terra Benedicta*, abſq; nimio ſudore & æſtu, intimis in obſequio cultoribus & aſſeclis, fructum producens uberrimum honeſtatis. Videbis hic ad Mariani propugnaculi oſtia, fortem tumultuari avernum! & ſuo nonniſi caſui mæſtiſſimum reſerari tumulum admiraberis. Videbis caſſis & irritis excubijs *ad hanc Portam* perpetuò invigilare hoſtem! cui ne pilum inferre licitum, quæ Amicis ſuperorum, tantum modo patet introeuntibus. Cernes munitiſſimam hanc attentari *Urbem!* per quam victor venire potuit impollutus. Audies crebris inſultantem cuniculis, turpiter ab oſtio retuſum impoſtorem! cui non ampliùs virginis calcaneo, ſive, ut ad argumentum lo-

quar; ad primam etiam *Armamentarij* nostri plantam, nequaquam permissum insidiari. Non novit hoc felicissimorum Imperiorum *Archetypon*, quandam Fortunæ experiri perfidiam: cujus sceptro universa parent, cuncta fideliùs obseqvuntur. Non novit consummatas Fatorum vetustate injurias, amænissima hæc sub sole *Regio*: quæ novo pubescentium plantarum germine, orbem fæcundat innocentûm. Fulget, fulgebitq; pulchriùs Mariani serenitas Solij, nebulosū gloriæ nunquam passura siparium! perennat, immensisq; perennabit sæculis præcipuus parthenij Diadematis honor! ibit in ævum innocua; in myriades vernabit prosperrima; nec ullo unquam tempore, nullo malefico contemeranda ausu Marianæ Monarchiæ felicitas! Boni vovent superi: spondent cælites: obsequiosa docent sidera: Gentilitia Neo-Regnantis nostri *Aquila*, fidelissimo jurat obsequio: secundissimo approbat comitatu: ubi vel ipsius jam liquet documento Antiquitatis, & in asserto triumphat

veritas: *Augurio firmat Iovis ales aperto omnia.* Firmat Parthenij ſceptra, inclyta genere, ſpecioſa factis, auguſta meritis, Regnatrix animorum *Volucris*, ut ad eorum felicitatem, pulcherrimi ornamentum dominij, aut priſco Tarquinij Priſci exemplo, aut novo ingenitæ virtutis teſtimonio, nihil aliud deſiderari perſvaſum, nihil ſollicitâ conquiri mente fuerit conſentaneum. Firmat nullo hactenùs inquinata fato Mariæ ſolia: ab ipſis incunabulis, ijs addicta, & devota fulgoribus Imperatrix *Aquila*; dùm ab umbris, aut tenebroſis meritorum progreſſibus, Filios revocans & retroagens lucis; ad *ſolem Iuſtitiæ*, jam inconnivo virtutis obtutu, jam agiliſſimo meritorum exemplo, ſpecioſiſſimum ex uniformitate movit, incitavit comitatum. Firmat ſancto propoſito, reſtauratæ per Gratiam, Paradiſum innocentiæ, primitivi boni augur *Ales*; dùm extra Phæniciam, in hac quoq; fortunatiſſima *Mariæ Arabia*, jam non ipſo tantummodo Plinio, ſed integro atteſtante cælo,

ipsis rosarum doctus refici edulijs; universos Dominæ, id est: magnarum alarum Aquilæ pullos, ijsdem verecundiæ pæstis, incorruptæ honestatis lilijs, vernantissimis Gratiarum bellarijs, usu & amore proprio persvasit oblectari, & convivari. Firmat dilectam cælo Patriam, dùm celebriore Lacædemoniorum prodigio, tutelâ, ab internecino vindicat ictu, optima in opere *Volucris*; nam ubi armigera Patritium fortiter sustentat ensem, sive in pænas demeritorum facilem; sive incitatum ad supplicia; efficit palmariter, ut destinatas *Iustitiæ Punitivæ* victimas, è proximo calamitatum & ruinæ theatro, ad vitæ officia revocet, & antevertat. Videtis hunc ancipiti animosum acinace? & votis plaudite! *qui fulmina missa refert, & cælo militat Ales*, è qua jã ministerij specie, aut compositam superorum in armistitia offensam congratulemini: aut subsidia imbelli surrogari ætati, advertite perfectissima: quibus armatam orci retundamus sævitiam; iniquam

prætendentium exterminemus barbariem; ſimùlq; *Victore Chalybe* immortales lauros, & adoreas concidamus. Nec fallunt in remige Alitis penna, Marianæ ſpē militiæ ſedatiſſima tranquillitatis omina, ubi in arrhā amicitiæ, tantorum in fidem fæderum, non mollia tantummodò Avitarum munimenta cerarum, verùm adamantina, in aſſymbolo æternitati *Circulo*, ſummi fors inſignia Regis atteſtantur. Suſpicimus *annularem ſphæram*, & noſtro Imperio, redivivâ virtute Magnum congratulamur Carolum: cui animus & conſilium, ſic Patritia irradiari decora; ut non terreſtris aut profanus quiſpiam notet & ſignet ſuperficiem carbunculus; ſed aut *Gemma Maria*, orbe integro & cælo quæſita: aut *Myſticum* retroacto in beneficia *Sole* ſerenet *Horologium*; quô jam vel ad officia pronos, ad miniſteria expeditos, ad cultum, ad Hyperduliam, Marianos excitet opifices; vel luminoſiſſimo felicitatum indice & præſagio. Partheniæ Reipublicæ, lemmaticum exprimat, &

inaret

inaret votum: *lux non umbra notet*; dies, horas, momenta, tempora ſucceſſivo motu præſentet, exhibeat fortunatiſſimos. Implent vota noſtra Superi, coronat deſideria, dùm in hac Principe, ſolius Tonantis miniſtra *Aquilâ* Parthenij honoris decora, inter prima ſub ſole phænomena decernunt radiare. Favent gratioſiſſimi poſtulatis cælites: ubi Mariani immenſitatem Principatus, jam ſæculorũ figuris æternam exprimunt; jam in emblemate perpetuam docent: nec motu definiunt annulari. Ijs demùm virgineam Triariorum Provinciã fæcundat armis, ubiq; immortalium adorearum, ubiq; trophæorum feraciſſimis. Non eſt opus Magorum, Sapientum, Aruſpicum, Cumænarũ explorare ſenſum; expoſcere vaticinium; quid boni in faſtigio Princeps noſtra portendat *Aquila*? in qua quidquid intuemur? auguſtum; quidquid contemplamur? ſpecioſum; quidquid legimus? optimum; ubi inſuper in pennis ejus, implicito candoris expreſſa charactere: *Pax &*

læti-

lætitia, consummatum opus præfigurant. Congruit tandem universorum judicio, probatissimum Arpinatis assertum: cum in hoc fascium culmine, *jam Aquilæ clarum firmavit Iupiter omen.* Accedunt his etiam ViceRegiæ in hoc Dominio Potestati, non minora Lelivitarum decora, ut & *Aquilas* in sidera trahi, & astra ad Aquilas flecti consortia, & sympathicâ meritorum in hoc fastigio conjungi virtute, sit certum, & manifestum. Stupet attonitus Parthenij cætus, novam felicitatum intuens coloniam! stupet novam in tanto syderum concursu sibi affulgere serenitatem! & Ausonij admirationem movet oraculo: *Sydus nostro quod contigit* Orbi. Iam ad perfectionem solatij, ad dignoscenda superorum pacta, auream inter astra non inquirimus extorres zonam; arcum fæderis in convexo non observamus Poli: ubi tot, tantisq; Mariæ cælũ depingitur astris; ad inocciduam lucis, splendorisq; nostri majestatem. Cernimus prodromam in avito sidere pulchriùs nitescere aurorã;

& ortum publicæ ſalutemus felicitatis;conteplamur luce pleniſſimâ individuum gloriæ comitem ijs in ſignis exardeſcere Phoſphorum; nec ullo unquam ad Heſperum poſſe vergi & præcipitari fato agnoſcimus decora; conſpicimus radioſam in exortu cynthiam, pietate in ſidera relatam; nec unquam opacam Mariano in orbe queremur noctem; nunquàm damnoſam caliginem vagi vaniq; errones palpabimus, & incuſabimus. Factum tandem, factum bono noſtro *Sodales Mariani*: ut cæli beneficio, veſtrorumq; congruentiâ affectuum, tantis Præfecturarum & curulium in decoribus, *Parthenius primis Mundus jam conſonet Aſtris*. Signat & abyſſale THOMÆ nomen huic cætui immenſitatem gloriæ; in utroq; Ioſephianæ dexteritatis lilia, aut floridiſſimam Mariani Sceptri ſpondent vernantiã; aut illibatam Partheniarum legum, in hoc ſymbolo integritatem profitentur. Talibus ſemper *Hortus concluſus Maria* abundet floribus: & vernabit; Talibus Domina mini-

ſtris

ſtris innitatur *Aquilis*: & à centro gloriæ nihil deficient; tali Divina Parens ſe credat *Lucinæ*: nec abortivos in cultu Filios obſervabit; talibus irradietur *Aſtris*: & ſervorum claſſes in ſua aget vectigalia, perpetua ducet in miniſteria. Et hæc eſt Imperij Dignitas: hæc veſtri felicitas cætûs: hæc inter ſolia, eminentes probitate cernere; has inter Parthenij leges, immunes à culpa ſuſpicere; hæc inter ſceptrorum munimina, quædam univerſæ fiirmamenta gloriæ pleniſſimo affectu, uberrimo cultu, altiſſimâ perfectione ſtudioſiùs venerari.

Alia in eâdem Occurrentia.

ERrat, & toto errat Cælo, fatuus ejuſmodi Phàëton! qui ita votorum ſuorum refrænat ſuffragia: ita junctos affectuum impellit jugales: ut dum Partheniæ Reipublicæ ſpatiatur in orbe; dùm prima luminum aggregatur ad aſtra; dùm ad lucem inocciduamq; miniſterij vocatur Serenitatem; ita ſuis cogitatuum agitur, & gyratur ambagi-

bus: ut in fatuos tenebrarum desinat, ac impingat ignes; ità evasivo impellitur & confunditur circuitu: ut ad crassam ignorantiæ allidatur caliginem; ità torpentem inter gloriæ radios à solio retrahit, & captivat pupillam; ut vel cæcutientibus cum talpis, infame naturæ monstrum; vel cum lippiente cornicula, lepidus umbrarum socius infametur. *Sodales Mariani.* Dolendus sanè, & ipso eventu fatidicus humanæ rationis processus: adeò scelesto in Piam Matrem pejerare voto! ut dum ejusdem in cultus, & officia, quilibet animum, quilibet præcordia, & pectus, quilibet libens volensq; devoverit caput: promptamq; in jussa Dominæ addixerit voluntatem; repentinâ fidejussorum metamorphosi, universa gratæ mentis tributa, nostros rehabemus in usus; mancipatam obsequendi vinculo, toties quoties non sine dehonestamento polliciti, non sine propudio facti, non sinè ruptæ fidelitatis piaculo, non sine acceptantis irreverentiâ, in primum arbitriũ revocamus ala-

crita-

critatem. Dicerem jam ego: aut defectûs ejusmodi originē publico discuterem scrutinio! dicerem; & omni damnandum sæculo indigitarem flagitium! nisi vetuisset pudor, dissvasisset verecundia, ab ore exterminâsset ratio, factum ipsâ abolendum taciturnitate. Quid juvat, teneriore characteristico, in filios conscribi, & annotari Parthenophilos? dùm mens proprio abundans sensu, primi in hæriditate sanctâ accubitûs, magnæ Principis & Dominæ negat, & impedit futuros esse successores. Quid juvat, felicissimo consummatam augurio, perennē sui voti profiteri clientelam? dùm qui Regiæ ejusdem implêsset ministeria: prorsùs aut rarus, aut nullus; aut exactâ voluntate agendi alienus. Fugimus, oculos amissuri & frontem, æquè altioris subsellij, ac mediastini officij gradum: quasi in infimo abjectoris vitæ, nati stertere, & conversari statu! cedimus sponte de tabula, ad portum beatitudinis velificantium! ut in cænosæ voluptatis uligine, pro lubitu commodiùs hæ-

reamus. Habet inquam id præmij & felicitatis, sacra Parthenij majestas: ut dùm foliorum præficit regimini; singularissimarum dotum apparatu perficiat; dùm primâ curulim scandere facit: ab omni vitiorum contubernio segreget; dùm stolam pulchræ dilectionis induit: deterrimum pravæ consvetudinis emendet habitum; dùm ad speculam lectissimæ Sodalitatis evehit: aut in justitiæ & æquitatis speculum, aut in puritatis crystallum, eosdem transformet Electores. Ipsi plerumq; nostro dementes judicio nobis officimus: ad culpabilis ignorantiæ damna, nosmetipsos præcipitaturi. An primos Mariani Imperij fasces, extrà honoris, & prærogativæ arbitramur gradum? quàm impudens! an istius Præfecturæ trabeas, infra fatorum damnamus discrimina? quàm scelestum! an cydares, & adoreas gratiosissimo lectas Paradiso, infra trophæum gloriæ ducimus? quàm impiũ! quàm insanum. Jactamus, quibus non minùs augusti decoris, quàm calamitatis: non

mi-

minùs ſplendoris, quàm incendioſi ineſt fulminis: in Prima retorti capita / regnatrices Imperiorum jactamus coronas / palmare Reginæ cælitum cur deſpicimus Diadema ? quod dùm ſignatorum DEI refrænat, & revincit tempora: nulli obnoxios declarat fato; quos in omni congreſſu magnanimos prædicat, jurata in noſtrum bonum orci hoſtilitas. Laudamus noſtro viliores cantu alaudæ, nec uno elogiorum admodulamur concentu, Tyrio appretiatis cruore muricibus: qui dùm croceo exardeſcunt roſeto: ad rogum damnant; dùm communis fati alterantur pallore: exnunc pheretro, & ſarcophago devovent Poſſeſſores. Quid in ſceptrorum firmamentis, ſpeciali non præſumimus fabricare vaticinio ? quæ dùm ad honoris cælum Atlantes elevant: virium, virtutumq; laſſatos in via demeriti, robore deſtituunt / dum ad ſumma urgent, & ſollicitant Hercules: longè graviore ruinâ & caſu abigunt, & præcipitant ad deteriora; terræq; profundiùs calamitoſos arietant Antheos,

theos, & allidunt. Venuſtior Mariæ Chlamis: exnunc ſuos, ſuorumq́; muniorum candidatos effectura ſereniſſimos. Solidior, nec ullo adverſitatum contaminanda Aquilone, in hoc Libano, abſolutæ directionis virga! quæ dùm univerſæ calamitatis domat perduellium: ſub umbra quietis Regnatores tranquilliùs reſpirare facit; theſauroſq́; gratiarum indicat, & referat inexhauſtos. Faceſſe, profane livor! Marianum vitias mancipatum & obſequium? cujus in legibus, & ſtatutis aureâ libertate pulchriùs, Palatinâ curuli digniùs, ſtephanomate auguſtiùs, Sanctiſſimorum Triregno majeſtuoſiùs, venít honor & gloria, intimis Parthenij familiaribus. Non eſt quod ambigas, unumquemq́; tantæ clientem Dominæ, in eum uſq́; ſurrecturum gradum! ut primas exſuperet celſitudines, eminentiam anteeat, ſerenitates extingvat, Phoſporus lucis, & fortunarum anteſignanus. Creditis jam tanti honoris prærogativam Mariano concedi & indulgerí cætui? ſolymæis Regum fidem

dem impendite dogmatibus, profusissimam in nos Dominæ gratiam evidentiùs declarantibus: *Quicunq; glorificaverit, me glorificabo eum.* Creditis ultimum etiam mediastinorum obsequium, huic impensum Principi, nunquàm suâ caruisse gloriâ? Divinorum Cancellario mysteriorũ assensum concedite: *si quis ministraverit, honorificabo eum.* Capitis, & vastissimâ id apprehenditis intelligentiâ, quibus jam ab ubertate ejus implemini muneribus, & munijs? intelligitis, quibus favorum præmiamini illicijs? Claravallense sidus Bernardum consulite: & dùm ex asserto illius, *Totam Sanctissimã Trinitatem, de plenitudine ipsius accipi gloriam*; dum Cyrilli judicio, *per hanc sanctificari Trinitatem* palàm docemini; credite, Ipsiusq; gratiæ totum concedite, totum impendite, & appendite pretio! hos ipsos tantummodò esse unicè sub sole beatos fasces: qui adæquent summa, deprimant altissima, optima teneant, omnium bonorum, & dignitatum; specialissimâ universitate.

Honor hic, ſummi honoris myſterium; beatitudinis ſymbolum; felicitatis ærarium; publicæ immunitatis ara & ſacrarium. Honor hic trabeatæ dignitatis parens, fatorum noverca, ſceptrorum, & ſoliorum architectus, gemmarum unio æſtimatiſſimus. Honor hic victricium laurearum paranymphus, virtutis comes, perennaturi nominis hæres inocciduus. Cælum ſtellatis cum decoribus infra calcaneum abigit, qui integro cælo æſtimatos Dominæ Dominantium faſces impudenti delirio deſpicit & peſſumdat. Tenet iſipſe ſumma, qui Ancillæ Domini perficit ac impendit miniſteria. Scandit ſuprema fortunatior, qui ponè dexteram Altiſſimi, adſtantis Reginæ exactum agit primicerium. Alioquin ſolem ignorat damnatus ad tenebras, cui Parthenij honoris deçoribus non ſufficit ſerenari. Diſcet adinterim, noſcetq; penitiùs quivis tantæ felicitatis faſtigium: dùm ſive è ſplendorum, virtutiſq; exigentia, ſive è clareagendornm neceſſitate, in ipſis ſuſpiciendâ,

&

& annotandâ Candidatis, diſpar ſæculari meritorum præmio, hæc unica diſcernetur, & decernetur eminentia, ſupra ſortem humanam elevatiſſima. Habet inquam id profanus quantumvìs honor: ut non in cujuſvis ſeſe ultrò effundat complexus; nec tutò ſe eorum ſubmittat dominatui, cujus perfecti imperia judicij, corruptæ voluntatis ſuppreſserat, & oppreſſerat mancipatus. Gaudent namq; auguſtæ cydares, eos intimiùs exambire vertices: quos aut palladiæ conſecrârunt cunæ; aut vetuſtiſſimi prænuntius honoris, ales inſederat fortunatus. Ità nunquam pulchriùs magnis fæderantur nominibus, imperatricis geſtamina dexteræ; niſi ubi eorum fuerint tractatæ manibus, quas gerulas fuiſſe puduit, nati è conſortio voluptatis flagitij. Quoties jam ſummi honoris aræ, profanatæ curulis ſcelus longiore felicitatum caſtigant interdicto! & dum ſuo cultui, quidpiam noxij mortalium irrogant miniſteria! aut piacularibus diutiùs culpam torquent æſtibus; aut difforme ſta-

tui & rationi factum, perenni calamitatum plectunt maleficio. Virtuti etenim addictus honor, hoc ipso decursu, quo sui immeritos fugit & declinat violatores; calles ingreditur tritos vestigijs probitatis, ejusq; tantummodo è consortio, non postremæ gloriæ vendicat, & lucratur dotalitium; ut nulla ex parte Irus appareat calamitosus. Nullâ quippe re magìs prima læditur, & afficitur Dignitas: quàm dùm vel ad infimos impingat casus; vel infami junctorum contubernio blasphemetur. Lugent, lugebuntq; immensâ dolorum mensurâ, hæc ipsa Dinastarum solia! quæ in Tyberijs Biberios, in Fulgentijs Carbones & Fuscos; in Trajanis Mezentios; in Tarquinijs superbos, in Domitianis indomitum naturæ monstrum; in Martianis Capuanæ voluptatis mancipia; in Iustinianis & Iustis; aut funesta justitiæ encennia, aut extinctæ & tumulatæ æquitatis cenotaphia, aut immortalium bustuarium legum, funereâ suæ felicitatis aleâ legissent, & adoràssent. Lugent lugebuntq;

perdi-

perditiſſimi fato ſuo faſces! quòd ad intaminati honoris ſpeculam, obſcænos ac deformes malorum notis admiſiſſent Sardanapalos. Plorant auguſtæ curiæ, curarum & ſollicitudinum obrutæ centipondio! quòd nulli penitùs profuturos bono, primæ analectis famæ lactaviſſent Endimiones. Dolent enixiùs, & ſucceſſivis temporum magìs magiſq; dolebunt gradibus, faſtigioſæ ſuâ celſitudine curules! quòd ipſi gravaminoſum terræ, & inſupportabile onus honoratis ſuſtinuiſſent bracteis; & molliore Fortunæ ſinu bajulâſſent. Rubent & pallent extremo fato: quia erubeſcunt Purpuræ in verecundos Principes gemmis & adamante exornatos coronarum! quòd vilitatem regnaturi capitis, aliunde conquiſito decore redimiebant. Non unius jam Galbæ, pectorale ad oſtium ſupplex honoris Fortuna ingemit: & niſi honeſti domicilium, ejuſdem conceſſerint & præbuerint ſtationi: promptiùs ſe jurat, & longiùs ab eo receſſuram. Ità non minùs lucri & ornamenti,

ſuis ſpectat à poſſeſſoribus honor; ut iidem immoderato queſtu, & uſurâ, ex eodem referri quærunt, & anhelant. Debilis namq; res honor eſt: niſi magnanimum occupet pectus, extremo ſpiritu laborabit. Ut firmiùs, ſuoq; robore intimiùs, iſtud dignitatis inhæreat accidens: ſubjectum petit virtute ſolidiſſimâ communitum. Res tota honoris, eſt in poſſeſſo: ab hoc nihil laudum poſſeſſor refert; id præter? quod ei largitur honor meritis, & claregeſtis coronandũ. Et ferreæ Aureliano capiti innixæ pulchriùs renident vittæ; quibus pretium impendit magnorum cogitatuum aurifodina. In hunc amicitiæ finem quælibet collimat dignitas: ut mutuò labore & præmio, ſua utriq; perennet felicitas. Aliàs dedecus inurit adorea: quæ non palmarem coronat Electorem: Bona hæc Fortunæ portio: quæ obtigit nonniſi optimis condienda. Anomala & defectuoſa ejuſdem foret inflexio, & maturiore graviùs caſtiganda judicio ad peſſimum, ad nefandum. Capeſſitis *Soda-*

les Mariani quà merito, quà suffragio, omni felicitate majores, publicâ celsiores æstimatione, hactenus quæsitos & desideratos fasces; aggredimini hæc ipsa fastigia anteactis Majorũ fulgentia mysterijs; scanditis hæc culmina: in quibus dùm nihil relucet humile; nihil quoq; abjectũ in suis notari gestit cõprehensoribꝰ. Procul hinc mordaces Zoili! quos in Eumenidũ titiones, malesana incendit bilis; procul Heliogabali! quos lymphatum propudij Numen voluptatum salebris abegit in naufragium; procul incæstuosi Parides! quos à virginei amoris teneritudine, Græca promissorum corripuit fides; procul monstrosi Actæones! quorum trivios Dianæ recessus, & saltus, tritissimos iniquitatis calles, sequi gaudium, vestigare voluptas, ex more malorum, tenere oblectamentum. Sola hic necesse regnet Pietas: imperet modestia: lenocinetur verecundia: sceptra tractet prudentia, nunquã maligno serpenti finitima & assymbola. Sola Partheniam felicitatem intaminato hu-

mero

mero fulciat, & ſuſtentet integritas! ne alijs virginea poſſeſſa dignitas violari doleat corruptoribus. Sola hic regnet Probitas! ut virtutum caſtra, probitatum copias, imperio cæli dedicet, ac ſtatuat triumphanti. Amant, amant non alium Imperatricis noſtræ cives ſequi, & obſervare Ducem: niſi qui invictum animum, incorruptam mentem, inviolabile animæ præſidium. Cor à jaculis & dolis, prætendentis fata erebi, ſervaverit immuniſſimum. Amant dexterrimos, eos in faſces & munia addici ſucceſſores: quos optima in gubernio induſtria monſtret, exhibeat, declaret, probetq; ſemper meliores. Capite jam *Electi Mariani*: & ſecundiſſimo ingreſsûs auſpicio hæc beate Solia; ex quibus unà Chriſtiano Orbi, & Cætui noſtro liqueat; tales nonniſi tantoſq; ad id regimen ſucceſſivis optandos, & deſiderandos temporibus: quales ad præſens proniſſimo affectu, & cultu, has inter Aras religioſiùs veneramur.

Alia

Alia in simili occurrentia.

PAlmare necesse ubiq; canat epinicium, quisquis ad consummationē operis, auxiliare amoris tenet satellitiū: *Sodales Mariani.* Profectò haud unquàm credidissent mortales, imbellem ejusmodi strategum illo præpollere robore! illâ rerum agendarum eminere industriâ! illâ cæcos etiā inter affectus effulgere prudentiâ! quibus triumphat palmariter; imperat salubriter; regit æquanimiter; ut vix reperias: vix excogites: vix arduis quidpiam impeditum desideres moliminibus: quod eò validiori, quò molliori dilectionis assultu, maximis quibusvis negotiorum ballistis obluctetur. Amor inquam est: si clariore hunc nosse intuitu, ipsam secundùm speciem gestias? Amor est: si munia, si munera ejusdem palpabili investiges notitiâ? Amor est: qui dùm amat, audet; dùm audet, vincit; dùm vincit, cuncta profligat; universa dissipat; singula fugat adversantia. Imus non segni

ingeniorum libramine, longiſſimos anno-
rum per decurſus; expendimus ſæcula; de-
currimus olympiades; ſpeculamur luſtra; &
quidquid dierum, annorumvè detrivit Or-
bis! ſive deplorando ad interitum abegit
diſpendio! ad numerum, ad ſyllabum vo-
camus myriadum: quàm ingens rerum, ijs
temporum in circulis, volvitur ſeries! quã
aut immortali recolere memoriâ, aut pe-
renni dignari cultu, aut adamantinis æſti-
mare trophæis, aut confectis auro ce-
droq; honorare coloſſis, aut ardentioribus
ſacrificare aris, quà præſens, quà antea-
cta, quà poſthuma valeat ætas, debeatq;
ab oblivioſi injuria ævi vindicare. Decla-
rant omni ſtentore vocaliùs infractam in
bellando Achillis virtutem: quod rarum!
non tacent ſtrenuos in Alcida labores: quod
præcipuum! non ſilent obſtinatos demol-
liendi hoſtis in Annibale conatus: quod
mirandum! integro orbe palmari veluti
theatro, heroïcam in Macedone jactant
magnanimitatem: quod immortale! viviſ-
ſima

ſima hæc monumenta amoris: illius audaciæ ſimulacra præſentiſſima. Flectit ferrea in ſubjectionem pectora; lymphatam populi cóërcet licentiam; marpeo duriorem ſilice emollit voluntatem; Hircanâ ferociorem tygride, Cleoneo rabidiorem leone, barbariorem urſo, Lycaoniâ immaniorē belluâ, callidiorē vulpe, lenit, cicurat, componit animum, & immanitatem. Iam lyncem in damna exoculat hoſtilitatem; jam humanis ineſcatas cædibus interficit, & intercipit harpijas; jam ſuperba vaſtantis in univerſum regna Amaltheæ frangit & atterit cornua; jam Minotauros enecat: jam Labyrinthos ſuperat; jam Iſthmia ampliat; jam prædatur Colchidem; jam vigiles ſomno excæcat dracones; jam victorioſus Atalantæ premit veſtigia; jam averni exagitat umbras; jam perpetua ſolvit ergaſtula; ut Annibal, ut Hercules, ut Samſon, ut Hyppomenes, ut Theſeus, ut Iaſon, ut Hector, ut Achilles, imbecillitate fortis, lenitate vehemens, affectu potens, effectu non du-

 bius,

bius, Areopagitico disertus silentio; molli efficax otio, occasu illustris, communi immortalis fato, egestate dives, calamitate prosper, langvore vivax, enses, saxa, chalybes, tormenta, jacula, oceanũ, barathrum, stylo terribiles, acumine asperos, tabo horridos, viperis, lacertis, insectis invisos, æstuosum procellis, syrtibus fervidum, urgentibus glaciosum gyaris, turpi exhalantium mephyti putorum insupportabile, rex cordium amor cereâ quapiam facilitate vicit prosperè, fudit prosperiùs, superavit prosperrimè. Oppone amori ardua: illa etiam, quæ præ difficultate ascensûs probantur impossibilia! illicò attentat Amor, nec casso laborem fæcundat conatu. Oppone fragosa inhospiti Carpathi juga, jamjam sub onere fatiscenti animo! pernicibus amoris alis, remige volucrum nõ adæquandis pennâ, celerrimè involabit. Oppone ad astrorum usq; viciniam provectos Alpiũ vertices contentiosæ Pænorũ hostilitati ad virtutem; Quiritibus ad præ-

sidi-

ſidium; armatæ ad exitium Carthagini; Romanis in aſylum populis! unico inſtanti & puncto temporis animoſus amor, æmulo Zephyris, pari Favonijs, æquali Auſtris diſceſſu tranſmeabit. Oppone ingenti hiatu reſerata ad abſorbendum univerſam Patriam terræ viſcera! igneos, quos formidoloſior Lypara, quos calidior, & calidior Veſuvius evomit, oppone globos! belli truces oppone arietes & machinas! edecumana accelera pericula! fæcundioris adinſtar roris, fatorum ſparge jacula! appropinqua funera! hæc inter illæſus vivet amor, & magno maxima audens conamine, ſuo cuncta faciet palmariter obſequi moderamini. Nihil jam habet inacceſſum orbis: quod glorioſo non ſcanderet veſtigio amor! nihil celſiſſimâ elevatum proceritate: latepatentibus nihil ampliatum ſpatijs: nihil cancellatis interclusum anguſtijs: nihil conterminis orarum preſſum & oppreſſum faucibus: quod non decurreret, non attingeret, non penetraret amor pal-

 mari-

mariter concertantium. Amor armorum princeps: animorum rex: classium Typhis: castrorum antesignanus: monstrorum domitor & triumphator. Amor magnes est: chalybeis obstinata bracteis pectora, in vota sua urgebit colliquescere. Amor Phosphorus est: indivisum animis, conformem voluntate, uniformem voto, uno eodemq; secum vitæ gradu, consistere Hesperum obligabit. Amor aurora est: luminum fertilissimum, beneficijs utilissimum, æquè bonis malisq; oriri solem cogit ac necessitat. Amor dux vitæ est: quidquid paveant maximi? aggreditur; quidquid trepident audacissimi? superat; quidquid metuant fortissimi? triumphat; quidquid aversentur magnanimi? debellat; festosq; victoribus dicat, consecrat, & litat adoreas. Non est jam, quod dubius laureæ execretur animus! quod pavida reformidet mens! quod titubans despiciat voluntas! cui auget copias, ministrat suppetias, auxilia spondet, ministeria prorogat, in vita socius, in via

comes,

comes, in termino hoſpes, Amor ubiq; fortunatus. Nec opus jam cis Gades, & Abylá triumphales ejuſdem inquirere obeliſcos! non opus pervetuſtis monumentis celeberrima legere, & excutere codicillis elogia! qui ubiq; palmam, ubiq; adoreas ubiq; perennia munimenta gloriæ meretur & architectatur. Mirarer ego, aut ut verùm fatear: uſq; modò cogerer hærere ambiguus! ut minùs verente pericula animo, Parthenij faſtigia cætûs, inſvetoq; ad ſumma paſſu, quiſpiam accedere audeat! cujus videlicèt altitudo percellit; munere dignitas gravat; honor onerat; tantiq; miniſterij felicitas electos DEO, cælorum perdilectos univerſitati, nunquàm amittendâ cataphractos gratiâ requirat, expetat, & expoſcat. Nimirùm ſi Mariani ſtatuta conventûs diligentiore lubeat perſcrutari indagine? ſi eorundem prærogativam faſcium modeſtiore liceat ſpeculari pupillâ? ſi æſtimatam appretiari dignitatem? deceret inquam Mariani Præfecturas Imperij: aut

feli-

feliciſſimo in ipſius officia & cultus, vitæ totius facto deſpendio, aut exhauſti cruoris ſacrificio diſquirere & vendicare. Si verò regij Partheniâ in Republica conſcripti tenorem diplomatis, aut ſentire ad notitiam; aut videre non pigeret ad intelligentiam; in quo integritatis cuſtodire metas: imperij, ſacriq; hujus dominij ampliare & dilatari limitas: virtutum tueri provincias: vitiorum infringere hoſtilitatem: orci reſtringere inimicitias: ingruentium malorum antevertere tempeſtates: noſtroq; non minùs præeſſe, quàm prodeſſe imperio, inviolabili fidei obligamur ſacramento; profectò impares quiſq; tanto oneri humeros, aut cum certâ ſubmitteret formidine: aut incumbenti honori ſubduceret reverentialiter. Vis namq; Auguſtiſſimæ Imperatricis noſtræ, quod multi temerâ adeò prætendant, & ambiant levitate; noſſe ſolium? *Ipſa Maria Thronus eſt:* quos tandem ad ſceptri iſtius felicitatem prætendat ſucceſſores! cui Abſolutiſſima olim inſedit

Pote-

Poteſtas; præfuit Omnipotentia. Vis diadematis iſtius advertere artificium? *corona ejus ſtellarum duodecim*: quantùm inſvetam cælo integro gravabit frontem! aut langvidos in regendo peruret cogitatus. Vis Regij geſtaminis attrectare decus? *Virga Ieſſe eſt*: non ſubjectæ tantummodò plebis, primorum etiam levitatem capitum nata in demeritis caſtigare. Vis aſcenſum & gradum myſtici iſtius obſervare faſtigij? *Luna ſub pedibus eius*: quos tandem inſignes, & notos innocentiæ characteriſtico requirat Hyppolitos! in quorũ majeſtatis tutamen, aut prævaricantis in loco ſancto, ad ſupplicium poteſtatis, vigiles ad damna, inſomnes ad pericula, feroces in noxios, fecit *duodecim Leones* excubare. Dubitarem, iterùm dico, dubitarem uſq;modò anxius: ea rerum poſſe quempiam audere molimina! vix crederem eam majeſtatis celſitudinem, non impavidâ quemquam aggreſſurum mente! niſi abundè intelligerem; quod poſſe diffidit timor, amor perſvadet

 auda-

audacter agere Marianus. Amor quippe istius est, illius duntaxat ciconiæ symbolum: quam nulla propaginis sarcina obruit! *nec gravat ullus labor.* Amor istius est: qui celerrimis etiam testudinē ad metam honoris instruit pennis! *additq; alas properanti.* Amor istius est: qui tempestatum insepultos nubibus, inextincto facit ignescere ardore. Amor istius est, vivissima heliotropij figura: qui quidquid amat, id ipsum omnibus postpositis curis, mente & oculis impellit & obligat contemplari. Et hæc sanè Cælorū Dominæ asseclas firmiter loricat armatura; ut quidquid adversi violentior minitetur impetus: id ipsum intrepidò amoris excipiant obtentu! quidquid impendente extra justi stateram lacertos premat onere: virtute pondus adimant! nec novit quispiam sub magni honoris fatiscere centipondio: haud unquàm dolentiùs illachrymari. Immensos robore, quantitate innumeros, insignes meritis, haud opus conscribere exercitus! *Acies ordinata Castro-*

rum ametur Maria; satìs ad præsidium. Graviore anhelantes respirio, tormentarijs fomitibus non accendantur ballistæ! *Rubus incombustus & ardens* ametur Maria; satìs est ad tutelam. Triplici fusi ære, transmarino è sinu Ajacis non quærantur umbones! *Fortium Clypeus* ametur Maria; satìs ad securitatem. Ut pusillanimis non contremiscat virtus, non est opus plumbo & aheno conflare, & consolidare mænia! *Murus aheneus* ametur Maria; satìs ad asylum. Ut minax culpæ evitetur pæna, ad protectorem sinum, ad patrocinantis Romæ gratiam, non est recurrendum viatori! *Urbs refugij* ametur Maria; satìs ad jubilæum. Pulchra ut luna, electa ut sol ametur! illustrabit, serenabit lumine, gloriâ, immortalitate. Verbo: ametur Maria; Maria ametur! amata proteget; honorata amabit; honorabitur, dùm amabitur; amabitur, dũ puritate, dùm innocuâ integritate vitæ honorabitur. Non amat, qui non reveretur; non reveretur, qui non amat; irreverens est,

qui non colit; colere ignorat Mariam ſceleratus. Gentes audite & populi! univerſi intelligite! nefas eſt: DEO in Maria; probrum: Mariæ in DEO, nolle intimiùs, nolle puriſſimè famulari. Et jam aſſentiri cogor profano licet vatis oraculo: *fortiùs ille poteſt, multo qui pugnat amore*; ità tamen in ſenſu convenio: ut ille nimirùm omnia poſſit amor; qui non exteriore tantùm nitet, & eminet apparatu: verùm radicitùs imprimitur cordi; & factis vivit, non verborum ſpiritu entheatus; documentis liquet, non ſponſionibus; actu evincitur, non habitu, non potentiâ. Expalleſcant proinde miſera timoris mancipia! ſerviles ſuis tantùm lucris inhiantes reformident animæ! quibus ſi arduum fati molimen objicias: retroacto, in curſu ceſpitant veſtigio; ſi contentioſiùs obliquior fortuna exagitet: collabeſcunt; ſi violentiùs in eoſdem retorqueat jacula: ſine ſenſu, ſine rationis uſu, animata cadavera obrigeſcunt. At verò quorum præcordiales fibras, Ma-

riana munit & loricat dilectio: nulla pericula frangant; nulla adversa confundant; nulla solicitudo superet; nulla affectio lædat; ad reprimenda inimici tela, bene instructos præsidio Amoris Mariani. Si quid aut in officio molestum: aut in obsequio onerosum: aut in exequendo occurrat arduũ: amor emolliat, amor expediat dexterrimus. Si amatis? jam timete pariter; si timetis? jam amate vicissim; ne ab incæpto remittatur fervore: excitabit timor; ut adoratrix tantæ Virginis augeatur hyperdulia: urgeat, moveat, solicitet amor in Piam Matrem illibatus.

Narratio Æthopæica, in qua lucta Sancti JOANNIS CALEBITÆ, & heroicus actus in deserendâ Paternâ Domo describitur.

QUid hæres anime! in lubrico vitæ passum sustines! an portum beatitudinis credis? an motos inter turbines fluctus, quæ-

dam alcyonia non deſperas? reflecte oculum! pupillam erige! obtutum conijce! intende palpebram! vide! ſi videre fas eſt: cerne! ſi confuſæ diſcretionis tenet ratio. Tenebrarum palponem agis: lucem ſequere! dùm affulget; auroram obſerva! dùm oritur; diem auſpicare fortunarum! dùm non clauditur. Multos ſua depreſſit felicitas: quos levare debuerat! interemit plurimos: quos ſuis intereſſe gaudijs non negavit. In filo fortunam tenes? rudentibus traheris ad ruinam! famulam arbitraris? tyrannam, non dominam; perduellem, non clientem; hoſtem, non conſortem time, expaveſce. Time in amore aſperam! in complexu noxiam! in præſtigijs barbaram! in ſvavio acerbam! in aſpectu trucem. Time in votis frivolam! in conceptu temeram! in ſponſione ambiguam! in obſequio fallacem! in munere & munijs formidoloſam. Time in folijs obſcuram! in cydari vertumnam! in lauro marcidam! in adorea fatalem! in ſceptro labilem! in purpura du-

ram! in conclavi irrequietam. Time in faſtigio ad lapſum pronam! in culmine ad caſus præcipitem! in trabeis vicinam trabibus infamatis. Time in mytra gravem! in clava imbellem! impotentem in armis! in regio malo peſſimam! & cujuſvis dominationis ſociam, cujusvis ſupremæ poteſtatis ancillam, cujuſvis imperij miniſtram, ſuis in infinitum depravatam gratijs, corruptam meritis, improbatam favoribus deteſtare. Imus: quò ſua quemq; trahit voluptas; quid animum maleſana percellis voluntas? dominatori non obſequeris intellectui? altiſſimæ recalcitras Providentiæ. Quid pectora torques? quid præcordia lancinas? quid animum ſaucias? quid rationem confundis? quid infimam regionem hominis agis in perduellium? ut hoſtis, ut latro, ut vultur, ut carnifex ut ſicarius. Inteſtina vipera, inculpato parce Prometheo! formam aſſumo perfecti hominis, nõ amitto; rectâ ratione ducor, conſilio regor, non erroneis; quid corripis? quid damnas?

mnas?

minas? quid arguis? quid flagellas? quid interimis? quid occidis? insontem sine cæde cruenta; nullius reum flagitij, sine cicatrice lethifera; absq; lictore ferro tyrannis immanissima. Altiora sapio: deprimis; secura peto: impedis; in viam planam vestigia incito: retrahis; fixis benè inhæreo propositis: supplantas; bonum optimum enixis anhelo votis: desideria arces; liberrimâ mente certum in finem feror: inhamas torquibus; sanè intelligo: dementas; sanissima apprehendo: deliria adstruis; arguis & castigas; blandiris & interimis; svades & violas; postulas & prostituis; supplex efflagitas, & acerbissimo premis carcere & ergastulo. Quid agis ignava libertas? quid infandum moliris scelus? suo rationem niteris exturbare imperio? regnatricis crimen læsæ majestatis. Primatum in movendo arrogas? naturæ ordo vetat præposterus. Dominari infimis nata potentijs: aut summum, aut æquale cum intellectu ducere prætendis regimen? vide! quid

quid jubeat ſubjectio; quid ſvadeat imperfectio; quid cæca appetitûs arguat tendentia; quid erronei indicent flexus; quid casſus, quid lapſus doceant repentini. Imus: quò cælum vocat; quid dubia hæres! imus: quò ſuperorum impellit gratia; quid dubitas? in avia teſquorum, in deſerta ſolitudinum plantam conſerimus: quid fera, quid infrunita bellua trepidas! Leones times? horres Tygrides? Lernæa expaveſcis monſtra? urſos fugis? averſaris lupos? pelle & abige metum! neminem erronei ſylvarum perdiderunt receſſus: quem cælitum favor comitatur. Neminem præceps rupium decurſus & ſaltus abegit ad interitum: quem bajula Numinis Dextera manuduxit. Tutiùs longèq; ſecuriùs per inhoſpita decurrentem viarum, truci leænarum terreri aſpectu: quàm in adytis, pellicibus lænarum demulceri genis; ſalubriùs urſorum percelli rictibus: quàm ſvaviſſimis Lycaoniæ incantamentis urſæ dementari; conducibiliùs rapaciſſimis luporum demolliri fauci-

 bus:

bus: quàm infamis cujuspiam lupæ emedullato basio enecari. Hominum te mavis credere consortio? quid periculosiùs! ververnarum popularitate, in sinistros gestis communiri casus? quid incertiùs! fæderatis amicorum animo inhæres testimonijs? quid callidiùs! auro solidi postes, belluatis renitentes tapetibus parietes, avitis superba propylæa decoribus, oculos oblectant, & fallunt; cor deliniunt, & terrent; voluntatem flectunt, & capiunt; viatorem à termino, strategum ab adorea, neoptolemum à studio, antagonistam à certamine, ducem à laurea, Nicetam à palma, sancti Comprehensorem intenti, certissimo à fine revocant; revocatum ludunt; illusum premunt; pressum sauciant; saucium torquent; tortum æternâ lancinant crudelitate. Quid prodest gemmeâ fulgere texturâ? armillas, chlamydem, togas, infantilemq; prætextã Ærithræo accendi jubare? si inops & vilis animus, horam & noctem destinatam repetundis, in timore vigil, in metu sospes,

in

in expectatione langvens, in ſpe emortuus, lugeat & expectet! ſuſpiret & expiret! videat miſer, & contabeſcat. Quid prodeſt inter abditiora obſerari conclavia? intimis circumſcribi penetralibus? ſi mens nunquàm à letho ſecura, nunquàm aliena à flagitio, per inſtrata marmoribus pavimenta lubricat, ſed ad ruinam; labefactatur, ſed ad interitum; cadit, colliditur rariùs à caſu ſurrectura. Quid juvat pleno ſtipari comitatu? ſi animus auxiliatrice Numinis deſtitutus gratiâ, in plebe ſolitarius, in ſocietate exul, in conſeſſu unus, in ſolatijs nullus, in metam, in terminum, in centrum, in objectum deſtinatur calamitati. Cedite materni lepores! eorum me non ampliùs Actæonem ſinam: non ampliùs me huic impendam venationi: ne præda in offam cedam moloſſis inhiantibus. Cedite parentales Parentum amplexus & baſia! vivere eſt animus: præfico ſenſu non ultrà parentate. Excedendum tantisper Genitorum amoribus: ubi DEO vacare ex-

Lautitiarum deferenda domus: ubi amiſſa conquiri debeat Patria. Veledicendum penatibus: ut ſydereum in auribus reſonet ſalve. Tædia concipis: quid metuis? unacũ vitâ promptiſſimè dilabentur. Rigorem, & auſteritatem horres: jocularem benecæptis quid adſtruis umbram? rigidiùs iiſdem ex adverſo inſiſtunt fata: quos molliùs vetitis ſibi cupedijs ſuſpexerant oblectari. Ad labores contremiſcis: ad ſudores obrigeſcis: ô! genus ignavum veſparum! diſce tenuiſſimæ exemplo formicæ! non pondus obſequij fugere; non æſtum oneris declinare. Vilis, ſuoq; deſpectus atrore, intuentis palpebram exaſperat lacerna: niſi verſicolor, niſi difformis inſtituto velis eſſe pænitentiæ: varietate plumarum fatua cornicula intumebis; niſi diem non geſtias inchoare lætitiæ: pullo contegi expaveſces ſypario; niſi Solem contemplari non libet Iuſtitiæ: umbram modeſtiæ declinabis. Rides ſpontaneos ſignatorum cæli pannucios: nudus nudum niſi ſequaris Ducem: à ſto-

la

la alienus gloriæ, ab incorruptionis interceptus habitu, exclusivâ Universalissimi Provisoris Gratiâ amandaberis. Profunda Asceterij obluctantem terret solitudo: nemo unquam inter pericula felix! inter latrocinia securus! intra culparum fomites illæsus! nisi solus, nisi Soli Uniq; doctus viscerosiùs conversari. Agite! vestroq; insudate peculio Pygmalæones! mihi eorum detrimenta pati, lucrum optimum. Agite lascivientes improbo sensu Ganymedes! incessu leves, supercilio salaces, aspectu illices, risu formidolosi; tensa vobis, vestrisq; ad capturam instruite venabula! mihi tendere palmas, figere oscula est votum & animus præ filijs hominum Speciosissimo. Agite emasculata Epicureorum turba! diemq; inter cupedias vestræ ducite beatitudinis! mihi fames frugalitas, esuries cibus, inedia nutrimentum ad salutem. Eja cedimus dealbata sepulchra! augusta genitorũ intelligo pallatia; in quibus feretrum pietas, innocentia tumulum, mauzolæũ pro-

 bitas,

bitas, juſtitia funus, toties fataliter ſubiê-
runt. Eja vermiculata auro optimo linqui-
mus conclavia! in quibus ſine verme non
vivit conſcientia; abſq; vulture non ſpi-
rant præcordia; ſine remorſu non movetur
pectus; ſine dolore nunquam vigilant ſen-
ſus, nunquã ſoſpitant. Vale jã Patria! Patrij
valete lares! chare vale genitor! viſcero-
ſa amoris in matre valete ſymbola! diem
vobis optimam precentur ſuperi: mihi no-
ctem viarum decurſibus concedant per-
accommodam. Solvite puppes! attollite
vela! erigite proras! ſulcate Tyberim! ven-
tis efferate claſſem! remos ſtrenui agite
palinuri! non moram patimur; non deſi-
deria arcemus: non vota frænamus; date
locum juſſis! date aurem petitis! ferte o-
pem, & operam celeranti.

Querela Theodoræ in ausũ Filij; & nimiæ in his Romanorum conniven-tiæ exprobratio.

QUiritum crimen eſt! Romanæ ſcelus cu-
riæ!

riæ! grande trabeati honoris delirium! ignavum consulatûs regimen! Patrum Patriæ enorme flagitium & facinus! quod leges sanciant: nec legibus securitatē provident; cancellos libertati figant & definiant: nec dissolutam licentiam arcent; pænas temeritati statuant: nec unquàm in protervos seriò, in contumaces æquanimiter advertunt & fulminant; honoratos manu prætendant fasces & ascias: nec tamen imbellis ætatulæ crimen & piaculum fecerunt emendatum. Superi non parcant ijs! qui diuturnâ culpabiliter delinquunt conniventiâ. Languidos & in publicæ felicitatis specula stertentes, suis cælum excitet vindicijs Iudices: qui in alto honoris excubant: nec damnis prospiciunt salutariter; summo attolluntur fastigio: nec sinistra prævident; omnium civium audiunt caput: nec justa intelligunt vota; nec mæsta percipiunt desideria; nec salubribus consilijs in extremo opitulantur. Vident detrimenta Patriæ, damna Urbis: & cæcutiunt; vident purpura-

ti offensam sangvinis: & dissimulant; vident Romuleæ juventutis excessus, adolescentiæ ausum, nec cohibent, nec castigant; vident sacrilegam filiorum in matres fidem: nec puniunt; natorum in Patres advertunt culpam: nec suppliciant. Hæccine sit obstricta senatorum in Latium fides? hæccine legum & justitiæ dilectio? hiccine immunitatis, & intestinæ pacis amor? partum sangvine Romanorum nomen, eamq; in perfectionem longis & sæcularibus manuductum laboribus, velle & sinere ignaviter immaturis corrumpi erroribus, prostitui & depravari. Juratos hostes Patriæ viderint singuli, execrentur universi, qui aut lentitudine nocent: aut dissimulatione peccant: aut neglectu delinquunt: aut perfido sensu injuriam universali bono, ipsi quoq; naturæ damnosiùs irrogant. Si quispiam heriles nutus, non tam svadente culpâ quàm ignorantiâ, desidior non implet verna? quot crimina in facto, severior advertit, plectit & castigat judex! Divinæ,

natura-

naturalis violator legis triumphat impunitate natus; quantis quotisq; obnoxia supplicijs, contemerata famulorum fidelitas! quæ modico obæratur censu; exiguo conducitur stipendio; brevissimâ obligatur subjectione; pessumdatus per filios Patrum honor, violatum amoris sacramentum, decepta solicitudinum spes, illusa laborum expectatio, deartuata aviti nominis fama, omnis fædifragæ prolis rupta obligatio, quorum vita Parentibus, obsequia genitoribus, amor & affectus matribus, omnis ætatis fructus, suæ integraliter genituræ principio pendi debuerant: jam in culpis absq; censura, jam in crimine absq; pæna, jam in publico delicto absq; supplicijs, ô! fatum insupportabite! libera in actu natorum temeritas, nostris insultat doloribus; illudit lachrymis; insidiatur vitæ; fata accelerat; illustre claris genitoribus nomen, in patria fædat; in exteris prostituit; in gentibus labefactat; in imperijs diminuit; in provincijs tollit; in regnis deprimit;

in univerſa populorum æſtimatione corrumpit, violat, depravat, & obliterat. Peccat contra Divinæ legis tabulas, maledictus viſcerum meorum partus: & connivetis! improba delinquit ſoboles: & annuitis! noſtrum amorem & honorem contemerat: & contemnitis! noſtra ſævit vultur in præcordia: & conceditis! vim & necem noſtris irrogat pectoribus: nec dolorum cicatrices dignoſcitis, & perſentiſcitis. O! informes noctuas! qui ad lucem manifeſtæ injuriæ caligatis; o! ſurdas aſpides! qui ad lamenta exporrectas obtunditis aures; o! ignavos & dementes conſules! qui malo noſtro non proſpicitis; o! infames judices! qui cauſam, querelas non diſcernitis; o! impij urbis ſtatores! qui ad noſtram jacturam & caſum non contremiſcitis. Supplices precamur, non flectimini: lugemus, non movemini: obteſtamur, non audimini: obſecramus, non videmini: afflictis ad ſolatium; læſis ad pharmacum; miſeris ad levamen; ægris ad medelam; inju-

riatis

riatis ad juſtitiam; oppreſſis ad vindictam. Vidiſſes, vidiſſes ſaltem alme conſul! violento luctu & gemitu tremere, & integris artubus ægra contabeſcere corpora! vidiſſes exanimes, quà valetudinario thoro, quà gravi depreſſas alliſu, reſupinatas per ſaxa & marmora, pijſſimas torqueri & volutari Parentes! vidiſſes fæcundiore animatos lachrymâ nobis etiam complorare parietes! vidiſſes vultum ſine ſpecie, oculos ſine luce, frontem ſine ſereno, lingvam ſine voce, aures ſine auditu, plantas ſine greſſu, manus ſine motu, genas ſine roſa, collum ſine lacte, labia ſine corallo, pectus vitæ extremum agere ſine anima! quæ pullatus extinxit dolor, mæroris contaminavit umbra, ſtagnans lachrymarum oblinivit latex, decoxit æſtus, contaminavit langvor, necem intulit, acceleravit funus, impia, diſſona ſuos in genitores nati prævaricatio. Vidiſſes laſſas humeris, enerves artubus, perterritâ & confusâ hiſpidas comâ in pronum flecti, & abijci! & vel ex hac extima

calamitatis imagine, quam vivissimus expressit Apelles dolor, recentissima Niobæi simulacra occasûs satìs clarè didicisses.

Confutatio 1*ma, seu retorsio querelarum Theodoræ.*

LÆsam, aut mordacibus exagitatam linguis majestatem, ut evincere congruum: ità fixa ab insanis vulnera, lenitate fovere, modestiâ contegere, dissimulatione persanare, non improvidum, non immaturum. Faneticus labor, & studium: extremis occurrere per extrema; & in flammas erumpere violentiùs: quod leniore torreri & terreri potuisset adustione. Plurimos in deterrima abegit impetus: quæ nec nosse fecisset altissima rerum moderatio. Vilissimi insecti natura, offendenti injuriam non cedere calcaneo, nec dissimulare; despectumq; sibilis, allisum morsibus, peregrini incuriam pedis venenoso halitu vindicare. Fortium belluarum animus, non nisi missilibus, nonnisi urgentibus sarissis ad

cruen-

cruentos labores excitari; quæ dentes habent, non ut lædant; ungves acuunt, non ut lacerent; verùm ſuis vitaliter deſerviant exigentijs. Nulli etenim adeò ferox, adeò crudelis natura! ut præcisè ad cædes geniture fætum fæcundâſſet. Naſcimur nemini erepturi vitam; vivimus nulli fatorum pericula acceleraturi. Homines nos eſſe prima conceptûs voluit intentio: non belluas, non viperas. Honoratus gloriæ apex conſules expetijt & excepit: non cæſores; principes, non carnifices; Patres Patriæ, non tyrannos. Nihil fædiùs purpurâ: quæ cruoris tincturâ rubeat; deſpecti faſces: qui ut floreant & vernent in ſpem majoris adoreæ, expreſſis civium lachrymis nutriuntur. Aſcias tenemus & gladios: ne cuivis facilè ſaluti noceant; acumen ſuſtinemus & gerimus: ne in jugulis tantummodò ſupplicum defixum conquieſcat. Miror hanc Urbis, tot à ſæculis continuatam praxim! Latinorum miror induſtriam! cur Patres, non Matres velint eſſe Patriæ? quæ

aut nimio populum emasculâssent lenocinio; aut extatico dementâssent amore; aut violentæ furoribus, urbes, provincias, metropoles, regna, imperia, cives, senatum, & quidquid felicitatis fuerit regnorum: ad favillas & cineres redegissent; comptamq; viventium coloniam in lithostrota consecrâssent. Amare effusius & odisse: blandiri violentiùs & execrâsse: votis salire & gemuisse: misera viraginum impotentia; nullumq; eorū obtinere moderamen, summa calamitosæ plebis infelicitas. Gemunt & accendunt; lugent & urunt; rident & affligunt; lenocinantur & trucidant; famulantur & deprimunt; ratiocinantur & delirant; nec boni tenaces, nec honesti cupidæ, sēper in affectu salaces, in voto dissonæ, in actu temeræ, in ludis Fescenninæ, in lautitijs Prognæ, in amoribus Medeæ, in metu Hellæ, suis semper intentis & inventis fatalissimæ. Benè provisum & cautum: faventissimis Cælum necesse gratemur hecatombis; sanctè sanèq; sancitum à primitivis

vis Urbis istius conditoribus: cautum ab antecessoribus saluberrimè: custoditum à superstitibus inviolatè: ut nec purpuras gererent, nec trabeas occuparent, nec areopago præsiderent, nec leges dicerent, nec causam exponerent, nec sensum depromerent infestæ regnorum dogmatibus, veritati obliquæ, intestinæ paci & tranquillitati hostiles & barbaræ, viris, consulibus semper cruentæ, semper perniciosæ Tarquiniæ Tulliæ ab experientia. Orâssent supplices, & protensarum fascino manuum dementâssent; svasissent mollibus, & rectæ vim tulissent rationi; simulato plorâssent vultu, & deploratum facinus evicissent; ursissent vota, & inextinctas lites accendissent; dissimulâssent nocuis, parsissent scelestis, & â culpa pressissent vinculâssent alienos. His fidem probant facta, evincunt ausus, nullâ compositi ratione.

Retorsio 2da instantiæ 1mæ.

Quod crimen Romanis, consulibus facinus, senatui piaculum, flagitium judi-

cibus

cibus violenta appingis Theodora! improbum judicas: dum non sævimus; corripis: in pæna dum lentescimus; arguis: dum non plectimus; matura consilia damnas: dum temeri non insanimus. Natum non læsimus, & exulceras; filium non torsimus, & exclamas; infantes non cecidimus, & ejulas; quid ageres indomita Parens? affectus consule; quid non auderes furibunda? temeritatem inspice; quid non attentares molesta? amoris immanitatem cogita; cernentes directrice virgâ natam salutariter emendari prolem: & inauditam diris, cavillis, scommatibus exagitâsses cornificinam; intelligeres latæ decreto sententiæ teneram juventutis plecti indolem: & non Urbe tantùm, non cis Alpinas intra Provincias, totius impudentiam Capitolij obliqua injuriosiùs discommendâsses. Dignoscere & discernere causam nullibi molestiùs; imò ad æquitatis assumere definitorium, semper molestissimum; ubi læsus amor litem movet, nihil in æquum & justum delinquentibus;

tibus; nam quidquid hac in parte edecumanus egerit consul: nihil nisi diras, nisi ultricia lamenta, nisi detractores sensus, ad vindictam acuet! ad cæsuram & censuram movebit! ad execrationem incitabit. Æquâ, quâ polles expende bilance: & in partes nudæ propende veritatis: eamq;, quam ream cæcutiens in luce talpa pænis addixerit, intentatis absolvis supplicijs: legum hostis, aviti depressor nominis, augustæ supplantator domûs, propagator scelerum, flagitiorum author, & quidquid male disertus suggesserit orator dolor, in palatijs facundè, aniles inter congressus tacitè, per vicos & plateas clamosè, per conclavia damnosè celebraberis; sive demùm favorabili calculo, ad libram influes postulantis, præter iniquitatis inurendam notam, pro bene confectis, infelix voto, infelicior obsequio, infelicissimus tantæ prætensæ conatu ab ijsdem Agamemnon lapidaberis. Res inquam satis dignosci & expendi nequit: quomodò patrijs, quomodò arbitrarijs statutis &

legibus, tuam circumscribi patiaris sobolem? quam etiam Divinis, naturæ exemptam velles; quomodò natorum scapulis infligendam non persentiscas pænam? cujus solâ avulsione ex oculis, torqueris semianimis; quomodò eorum imminens jugulis, lassa viribus sufferas mucronem & ferrum? quæ absq; vulnere contabescis; quomodò funera, aut immaturam non deploras mortem? quæ viventis absentiam absq; dolore non cogitas; absq; gravi præcordium respirio non suspiras; absq; effusissimo ploratu & planctu, avulsi imaginem non suspicis, nec suscipis: & in memoriæ tabulis, in pectoris compagine non refricas, non exulceras. Temerè petis, quæ nimiùm doles; nam quæ nunquàm dolere posses, nunquàm petijsses instantanea. Ad ipsam mali speciem eventuri nato, genuinâ mortis, quà fronte, quà exsangvi vultu figuram exprimis; ad ejusdem interitum, nunquam satìs semel occubuisses! ad stratas tragico in cinere exuvias, cecidisses toties, hos inter

defo-

defodienda pulveres; quos nati cruor innatavit. Lenes in iram & furorem insultare desine: quæ æquitatis rigorem, ad abyssum erebi amandâsses. Quod si verò universalis Romano Areopago, ijs etiam in carpendis vitijs, (quæ connexam ex affinitate mali secum induunt & inducunt pænam;) sapientissimi Naxeræ retinenda ratio: *miscenda semper severitati lenitas, faciendumq́ quodammodò ex utroq́ temperamentum, ut neq́ multâ asperitate exulcerentur subditi, neque nimiâ benignitate solvantur*; quantùm proinde his ipsis connivere non disconveniat! quibus adhuc nec scelus charum, quia ignotum; nec quæsitum flagitium, quia non concupitum; nullumq́; convictum crimen adolescentiæ, haud gratiarum privari bonis, haud favorum solvi lenocinijs, haud unquam severiore plecti intuitu merebatur. Nec lenem, nec levem tenerioribus animis quispiam adhibendam reputet pænam: qui ad erroris probati umbram, verecundo confusi cruore suffocantur. Frustra hunc, simi-

milemq; in ausum novas recudere leges, ignescens odijs exposcis Ætna? quas nullum honoribus plenum, immortale factis, judicio thaumaturgum, ausum fuerit sæculum attentâsse; nullum unquàm requisivit Imperium: nulla quà throno sublimis, quà sceptro conspicua, quà syrmate majestuosa, etiam leviore pennâ extra cedros & marmora imprimi nec sanum, nec æquum decreverit potestas; præsens ætas, quæ dum à primitivo antecessorum deflexerit instituto, erronea: dùm instantibus non benè obsequetur & famulabitur necessitatibus, sacrilega: dum præjudiciosa posthumis ætatibus decreta sanxerit, delirans & fanetica venturis damnabitur sæculis, improba merito, infamis præmio, indigna officio, dicetur non absq; nota; proscindetur non sine cavillis, non sine dedecore supervicturi nominis, non sine lachrymis, non sine ignonimiâ.

Invectiva 2da in Consules hàc de Causa.

NEscit dolere, qui nihil amisit; ignorat geme-

gemere, qui non doluit; dolere & gemere amissam nescit prolem, qui non genuit. Quidquid magis vicinum cordi? magis afficit; quidquid proximiùs admovetur clibano? perditè uritur; quidquid solidiùs impressam sustinet molem? magis premitur; plùs cui interfuerit: plùs damni eventu tangitur. Dolet intensiùs, qui & amat; quippe mẽsura doloris amor, dolor amoris mensuratum. Non est amor, qui non dolet; dolor, qui non amat. Stipendiarius consumpti fato boni vix meminit: hæredem nulla à sensu doloris cohibet ratio, nulla oblivio retroducit. Nostro sapite malo! nostro dolore & questu æquitati causarum prospicite! fatum avertite! injurias sistite! quà Urbi, quà Orbi impendentes Latinorum. Nos equidem miseræ, & infames Matres natos amittimus: Patria filios, cives, defensores. Utriusq; detrimentum ingens, quia utrisq; commodum non exiguũ ex ijsdem erat secuturũ. Parimus nostro non minùs gravidæ fœtu, quã fato: eamq;, quã partûs ex-

pectamus horam, Parcarum aut mortis extremum prospicimus. Parimus nostris perituræ solatijs, doloribus occubituræ! huic oneri nunquã submissuræ caput, nisi quod voto Patriæ, voto civium, universorum exigentiæ pareamus. Alioquin natâ nobis è prole minùs promittimus: quàm integrè publicis obsequijs cedimus, & concedimus. Sors & beatitudo nostra neutiquã major: quàm vitam nostro in sangvine propinare nascituro; fuso medullatim in lacte majorum instillare qualitates; eodemq; candore ignorantem animum instituere; cætoroquin etiam naturali eorum exuimur jure, nec plùs felicitatis fæcundiores obtinemus Lucinæ, nisi quod nostrâ in cedenda prole labori, necessitatiq; Patriæ omnimodè obligamur. Tam diu absoluto dominio & regimine nostram in prolem beatæ: quàm diu inter fascias tenetur non libera; quàm diu cunarum inter angustias, vigili matrum oculo fovetur tremula; quàm diu nostrum per sinum infirma serpserit; tam diu nostro

ab

ab usu & ministerio filius non deflectit audaculus: quam diu puerili in prætexta, solâ naturæ arcetur impotentiâ; tam diu nostram non delinquit in potestatem: quam diu viribus, annis, ætate non maturuerit. Ast ubi vernare cœperit: veris istius primitias, & florem cedimus; ubi adolescere videtur: fructum quà Marti, quà Consó Patriæ in officia, nihil inquam bonorum invidæ consecramus. Vide consul: nec cassas damna lachrymas; vide senatus: nec temeras fæminæ querelas argue; vide judex: & allegata discerne; malefacta plecte; securitati provide intestinæ. Inductâ causâ non flectimini? rectiùs confusæ sapimus; decretoriam non acceleratis sententiam? salutariùs afflictæ discernimus; in delicta juventutis nō animadvertitis? meliùs orbæ solatijs prospicimus; impunitate ausus crescere sinitis? consultiùs desolatæ sævimus; mixtam amori conniventiam simulatis? perfectiùs læsâ dilectione tangimur; dùm quà præsenti, quà posthumis provisuræ ætatibus,

cau-

cautum volumus, clandestinâ eruptione ꝙ charis à penatibus nunquam posse declinare sobolem meritâ absq; pænâ; nunquam genitores linquere capitali absq; crimine; nunqùam parentum ab oculis avelli & abstrahi, absq; flagitio; compertamq; in demerito, usitatissimis Patriæ supplicijs nunquam esse non castigandam. Viderint saltem Patres Patriæ primā Urbis istius plantam, non adeò lectis plebeiorum vindemiatam surculis; viderint primogeniturā Romulidum: qùod nisi raptis in conjugium Sabinis nasci Quirites debuerint; & vastam novæ urbis coloniam, nonnisi infami natorum ortu occupatam. Viderint aureæ præsentium felicitati, ferrea illa reditura sæcula; viderint illam è postliminio cum interitu, & opprobrio gentis irrupturam calamitatem; ut in consortium thalami ab extremo orbis peti debeant virgines! nec facilè petitæ annuant; mari terrâq; sociales quæri nuptæ! nec quæsitæ in vota consentiant; ferro & armis ad fædus maritale cogi!

gi! nec palmam Hymenæo cedant Paranymphæ: ſagittis, arcu, in matrimonium devinci & devinciri Daphnides! nec Apollini adhæreant; auro allici! nec ſuo è propoſito in vincula fæderum flectantur Atalantæ; viſuræ inquàm ſui conſortij fructû, nonniſi lachrymas, nonniſi mærorem, nonniſi planctus, nonniſi dolores & mortem matureſcere. Minùs etenim recordamur periculi, preſſurarum obliviſcimur, ſpe naſcituri non deceptæ hominis; exhauſtam doloribus naturam ægræ vix gemimus Matres: novum è viſceribus, baſijs ſalutaturæ hoſpitem; aſt ubi è manibus, ab oculis perditiſſimè ea ſolatiorum eruperit portio: ubi prodroma lucis noſtræ deflexerit, & defluxerit aurora: ambrâ mæroris confectæ Plejades, diem nativitatis arguimus! maternam fæcunditatem corripimus! libertatem pariendi plectimus! indefeſſo planctu dolorem accendimus! vulnera, mortes, cicatrices, abſentiâ natorum langvidæ & debiles refricamus.

Confutatio invectivæ 2dæ.

UBi jam communis boni amorem violenta parens, in nobis infamas & prostituis! ubi compassivum dolorem, cuivis jacturæ non disparem, verborum truncas & mutilas acrimoniâ! æquum ducimus, odij vulnus dilectionis pharmaco, & confusum violentâ suspicione sensum, dissimulationis remedio delinire. Pectora habemus & præcordia: sed altissimâ sub ratione constituta; dolemus satis: dùm dolenda agnoscimus; magisq; persentiscimus: dū apprehensi boni absentiâ torquemur, configimur intellectualiter. Aliàs furor, non dolor est: externo vultûs laborans habitu. Furor, non dolor est: rationem motu, verba lachrymis, singultientibus respirijs caussam confundere, intercipere, interturbare. Furor, non dolor est: insultare maximis, improperare summis, non parcere infimis, non indulgere pressis, non connivere delinquentibus, non dissimulare paribus, nul-

lumq;

lumq; extremum ſinere intentatum. Furor, non dolor eſt: lingvas in Cælites exerere, os in Numen attollere, rabiem in arbitros juſtitiæ exacuere. Furor, non dolor eſt: Patrijs vilitatem tabulis, ineptias legibus, invaliditatem juribus, iniquitatem Præſidibus impingere, inarare. Furor, non dolor eſt: alcyonia miſcere, pacem infringere, univerſæ malaciam urbis interturbare. Furor, non dolor eſt; crimen appingere, quod culpâ caret; condemnare ſcelus, quod à cenſurâ alienum; prætextatum evincere flagitium, quod nec mali imaginem merebatur. Furor, non dolor eſt: exigere ſupplicia, expoſcere pænas, mortem prætendere violentam. Furor, non dolor eſt: incitare equuleos, efferare cataſtas, ſuccendere pyras, vibrare chalybes, irritare focos, ſuo quoq; ſangvini ad ruinam, ſuo nomini ad internecionem. Laudo doloris menſuram, intenſos fore & eſſe amores: amoris menſuratum, dolorem approbo. Laudo in utroq; tui judicium definitivum: ex

quo ut jactæ calumniæ ruat intentum, medium peto; ut facillimam in deteriùs, tui erigam & suffulciam rationem, fundamentum assumo; ut perfectissimam Senatûs evincam charitatem, ab hoc veritatis puncto, artificium exhibeo demonstrativum. Definitionis & definiti par ratio: æqualis virtus, idem esse, in nullo difformis operatio. Vellem ego fortunatissimâ reminiscentiâ, illa divinè humana, aut humanò divina, recoquere dogmata & oracula: vellem ijs è principijs confundere, aut satiùs ad rectitudinis revocare tramites, in invio exerrantem genium: vellem docere, & uno eodemq; remedio, sive irreflexa actoratûs cordolia, sive læsam importunè Patrũ Patriæ, appetitamq; toties innocentiam defendere & salvare. Theodora consule! amorem nescis: dum continuo temeritatis pruritu ageris ad deteriora; *Amor non agit perperam.* Theodora consule! amorẽ ignoras: dùm blandos risus, in basilisci visus: oculos, in scopulos: genas, in gehennas: la-

bel-

bella, in flabella: furori devoves inconsulto; *Amor* dùm *non altercatur, non alteratur*, nec speciem mutat intestinam. Theodora consule! minùs amorem nôsti: dum nefandis prolem damnas judicijs & castigas; *amor nihil suspicatur de amato*. Theodora consule! amorem depravâsti: dùm tua in amisso filio nocumenta ploras & damna; *amor nō quærit, quæ sua sunt; sed quæ aliena.* Theodora consule! amorem turpi corrupisti facto: dùm libertatem filij ægrè toleras; *amor omnia suffert, nihil invidet*, cuncta meliorem ordinat in partem, dirigit, & assumit. Vide hâc amoris ex imagine: & unà doloris expende idæam, & idæatum. Non est dolor, qui probris, qui calumnijs absentem onerat, comitatur recedentem; præsentes gravat & infamat. Non est dolor: qui ruinam non sentit, nec intelligit; cædem non dolet, mortem non timet dilecto struere, & fabricare. Hinc habes amoris è dolore, doloris ex amore, ex útroq; universi boni & commodi expressam rea-

litatem; disce vel in te ijsdem è lineamentis affectuum indagare principes: quæ in nobis nec nôsse præsumis; nec suspici annuis; nec perfecto rerum exemplo indulges comprobari. Dolemus, sed sensu doloris altissimo; sentimus, sed sine mulierum vehementia; lugemus damna, sed absq; lachrymis, absq; verbis, fasces, Dictaturas, vicinasq; civium ædes infestantibus.

Retorsio instantiæ 2dæ ex implicantia multarum Legum.

LEges multiplicari cupitis: & novo rigoris violentas apparatu, ab hac prodire deploratis, & exposcitis officina? has ut adeò lenes levesq; universorum fabricâssemus despectui; quas nulla solidioris rationis, sed ipsa tantummodò lachrymarum exigentiâ, acerrimi justitiæ lynces adverterent materiatas; ità inanes & vacuas, quivis è legũ & statutorum codicibus abrasisset, discriminasset. Doluit olim & sparsâ in cæteros hucusq; efflictim dolet scientiâ, censo-

rius Stradæ calamus: ubi nullâ unquàm re perniciosiùs, regnorum labefactari status: nullâ armorum crepidine damnosiùs, provinciarum parentari famæ: nullâ hostilitatis caragine infeliciùs, publica urbiũ expilari, æraria: nullo movente & motivo violentiùs, in reprobum abduci sensum annotavit cives: *quàm crebrâ mutatione legum, quã inconsultâ statutorum innovatione*, labefactata ad interitum fatorum influxu deprimi; obscurata ruderibus, repentinisq; insepeliri favillis; exhausta paupere accingi sarcinâ, vidit, luxit, doluit, indicavit. Nihil magìs unquàm publicæ nociturum felicitati, quâm arbitraria, ad solius affectûs instantiam, legum impositio. Annotavit id tribunorum & consulum nefas, Pharsalicæ promocondus cladis: & impunitatem populi, ausum civium, conversum in sua viscera armorum impetum, eorum adscripsit impudentiæ; eorum appinxit temeritati, dùm *cum Consulibus turbantes jura Tribunos*, erudito plexit acumine, & castigavit. Benè

sanxit,

ſanxit, & ad argumentum univerſorum felicitatis, optimè Claudiani definivit Muſa; bene ſanxit, & gravitatem jurium, authoritatem legum, majeſtatum præſidium in eo ſitam, & fixam demonſtravit cardine: *firmetur ſenium juris, priſcamq́; reſument canitiem leges.* Benè ſanxit, & inteſtini metus exploravit rationem; benè ſanxit & divino oraculo, *Leges in pace timendas*, Neapolitanus Vates luce clariùs, ſole evidentiùs, ipsâ veritate veriùs confirmavit. Vidimus nonnullorum imperiorum gloriam, ad parem antiquitatis recentiùs aſſurrexiſſe honorem; vidimus ad uſq; polos, sereniſſimas elevari majeſtates: vidimus contermi- nam ſummis, æqualem maximis ſtare, & perennare fortunam: quorum ſi fixam arbitremur coloniam & baſim, omnium judicio, univerſorum teſtimonio, hoc felicitatis ſacrarium, libertatis aſylum, ideò firmis, ideò ſolidis, ideò multis communiri legibus, quia pauciſſimis, advertemus. Quoties monſtroſam prolem, multiplex gerula-

rum

rum reddit institutio! quoties nimia Hesperidum cultura, areolarum impedivit fertilitatē! omnē colorū venustatē & speciem, non unius Apellis & Zeuxis penicillū penitùs sustulit, & abrogavit. Merguntur classes, & ad fundū infortunij scyllis adactæ deveniunt; periclitantur cymbæ, non unius remi, claviq; distractæ impulsu; naufragantur Centauri centum nactæ navarchos ad gubernacula. Duce uno triumphant castra; Sole pulchriùs refulgent, & nitent poli: quia unicissimo. Regna & imperia in unius coronato Capite conquiescunt beatiùs: quæ multorum trabeata in vertice, turpem ad vertiginem agerentur. Miramur unius exortu auroræ integrum clarescere cælum! quod innumera sidera minimè contulerunt; miramur unius Phosphori, crassissimas dispungi & profligari Cimmerias! quod nec septenæ Plejades, nec Arctoæ flammæ pleno ordine perfecerunt. Ideòne sublunarem inatrari orbem gemebundi mortales querimur? quod unico

 dies

dies illuxit Cynthio; ideòne opacioribus universum non clarescere in partibus, latitantes per spelæa non incusabimus noctuæ? quod innumeris convexum cæli flammet & gemmet astris; vestro utrumq; decernendum judicio, vestrâ ingenij librandum acie, desero & comitto. Mihi restat è paucitate legum, è singularitate judicis, è raritate tabularum, Urbium, Provinciarum, Regnorum legere & pandere beatitudinem. Absolutis toties quoties recalcitrat græx sceptris, quia pro lubitu & velle flectitur imperiosè & impellitur ad discrimen; & quoties irrogatis prematur statutis, toties Anthæus surgit à casu in certamen validissimus. Exiguas naturæ leges architecta posuit virtus: quæ quia paucæ, ideò gratæ & ratæ; ideó proficuæ & efficaces. Et *Soles* lucent, & *Astra* radiant, & *Cæli* in hæc inferiora beneficijs influunt, *Nubes* fæcundiùs gemmant, & *Iuno* candidiùs favet, & *Mars* mitescit, & *Leo* blanditur, & *Virgo* integriùs ludit, & *Cancer* promptiùs in vota

cele-

celerat, & *Pisces* esurialibus influunt genijs, & *Aries* vellera refert, nec *Libra* ab æquo & justo deflectit, nec *Sagittarius Pugil* à meta & termino exerrat, ad regulam unius Moventis, & Motoris ordinata; quæ quia antiquitate gravida, unitate perfecta, ideò prospera, ideò solida, ideò fixa, nec ulli unquam prætergressa. Hinc leges, quas noviter condendas postulas, non exposcis; quas urges, nunquam extorques; quas svades, non evincis; etiam à superis sibi indultam sortem admodùm aggravantes.

Invectiva 3tia Filij profugi factum aggravans.

HÆcciné sit futura natorum in matres obligatio? ut sua nos ad tumulum deprimant, & deturbent levitate! Divinæ justitiæ decernite Arbitri: hocciné sit meriti nostri ingratæ prolis tributũ & præmiũ? ut pro collato vitæ principio, ad extrema impellamur vitæ! magni discernite Iudices. Dimisit parentes! quod impium; altricem

deseruit gratiam! quod ingratum; orbavit palatium! quod injuriosum; clàm erupit penetralibus! quod suspectum; nocturnis tenebrio avulsus Cimmerijs! quod mali non caret mysterio; ignoto se adjunxit comitatui! quod non sine dedecore, non sine probro, non sine publicâ censurâ & notâ augusti nominis & generis est futurum. Scimus quandam etiam natis inesse libertatem: scimus plurima eorum non neganda votis: nec unquam desideria falleret nostri contemptor arbitrij; si fidem intenti candidior testaretur. Quid agimus Iudices? tanti mali non suffocamus principia? ad publicum magìs ac magìs tumebit interitum; patimurné inultam & impunitam, in mille discrimina maturescere caufam? sceleribus ostia reserabimus; sinimus effrenē in vias suas facilè prorumpere juventutem? specie boni calamistratæ temeritati agere quod lubet, attentare quod placet, consummare quod arridet connivemus faciles? ast quæ religio in Deum! quæ pie-

tas

tas in Genitores! quæ fides in Patriam! quis amor in Urbem! quæ charitas in Cives! vires armorum imminuimus! avitas atterimus purpuras! consulatus tollimus! hostibus aditum! non imperviam adversorum castris linquimus Patriam, sine Hectore, sine Scipiadis, sine Fabijs, sine Marcellis, & Marijs, sine Coclitibus & Scævolis, miserè & deplorandè destitutam. Successivis inquam motibus, hæc ipsa ad eum honoris gradum crevit Respublica: in successivis, aut successorum carentia, à gloria deficiet, & relabetur immortali. Putasne is ipse Prætor, quem summum fulcit & bajulat fastigium: futurus absq; occasu? putasne is ipse Dictator, qui divina veritatis fundit oracula: elingvem in feretro non agat Tacitum? & cunctas suæ existimationis partes, unicâ non claudat, nec absolvat periodo? putasne is ipse consul, qui universorũ prospiciat commodis: non defecturum in hac specula arbitrum & speculatorem agat? nec ad mortis occumbat fataliter regionẽ.

Dicite jam auguſtæ curiæ: quot è trabeis Dinaſtas ab ævo, aut majore admiratione dicam; pauciſſimis noſtri ſæculi ab annis, in ruinam fatorum abegit imperium! dicite purpuræ, quoties ad triſtes, & exanimes Procrerum exuvias, exſangvi palluiſtis lanâ! Ducum dicite clavæ; quoties proprio, quoties alieno inter denſos agrarij militis tumulos, funeſto paſſim madebatis tabo? Dicite armamentaria & caſtra, quot Hectoribus pijſſimas inter flammas funebri parentâſtis pulvere? dicite ſæculis celebrandæ Arthemiſiæ, quot Mauzolos mæſtiſſimâ luxiſtis pompâ? dicite divinâ celebrandi apotheoſi Æneæ, quot depontanos Anchiſes, veſtris lacertis & humeris, umbris devoviſtis ſepulchralibus! dicite viſceroſæ in amoribus Lædæ, quot Caſtores & Polluces, repentino, eoq; indiviſo amiſiſtis fato! Magni dicite Macedones, quot fidiſſimo obſequio celebres Epheſtiones! dicite amico in fædere intemerati Pyrithoi & Pyladæ, quot Oreſtas & Theſeos! à corde intimos, à con-

à conſpectu deſiderabiles, ab alloquio ſvaves, à ſocietate non defluos, ſæva intercepit Lacheſis! diviſit, avulſit, abſtraxit, ſeparavit. En quanta Reipublicæ virium exantlatio! quanta virorum damna! non decennalis intercapedine luſtri ſarcienda. Occumbet Pater annorum detritus laſſitudine: vices qui gerat familiæ, propagatum qui foveat nomen, nullus ſupererit hæres! ibit prodromo manuductus fato è conclavi ad urnam, tot tantorumq; ſucceſſor bonorum: vacuum qui occupet locum, nullus Atlanti ſuccedet Alcides! cadet è curuli ad tumbam, funebri Stator deplorandus cataſtrophâ: decedentis qui ſarciat & inſtauret ruinam, ſuis exhauſta Aſcanijs Patria nequaquam providebit! vacillabunt leges, paſſim in deteriùs ruent ſtatuta, evertentur tabulæ eorum ſupplantatis cuſtodibus: nullus interim juſtitiæ excubijs idoneus eligetur Iulus! gement redactæ ad incitas Romanorum phalanges: fata occinent violenta præliares Quiritum aquilæ: implorabunt

ſup-

ſuppetias, ultimum jam pro integtitate Latij agentes ſpiritum, pallidi inter cadavera Hectores: auxiliarem capulo qui addiceret manum, in plenum victoriæ ſacrificium qui devoveret caput, jã Scævola, jam Mutius, jam Codrus, jam Curtius, Romanorum intra cunas, Quiritum intra faſcias, extremæ offerendus neceſſitati deſiderabitur, nec obtinebitur; quæretur, nec inveſtigabitur; accẽſa Gradivi inter intortitia accurato indagabitur & explorabitur ſenſu: nec adoleſcens, nec vir deſideriorũ apprehendetur. Non diu expectandum Quirites: brevi impendendum horrete ſcelus! calamitoſam luctûs & ſupplicij expaveſcite horã! quâ Urbium, Orbiſq; Domina ad prima uſq; rediens principia paucitatem dierum, in paucitate confuſa virorum moleſta deplorabit.

Confutatio invectivæ 3tiæ ejuſq; inſtantiæ 1mæ.

LIbertum, & libertate prædituum, ad æquale neglecti officij, intermiſſi obſequij,

quij ſupplicium evocas; natum & ſubditum, eâdem obligari compede, onerari culpâ, plecti pænâ, allatâ evincis ratione; ſtat in comperto malitia: quod ſervos non filios: mediaſtinos non primicerios: mancipia non hæredes: tuo eſſe futuros deſtinâſti judicio; hoc dùm omnis libertatis amans declinâſſet celeriùs: nec nati indolem ejuſmodi ſervitutis jugo ſubtractam, ſit intra prodigium. Mandatis flecti non imperijs, obſequijs addici non ſervituti, ſoboleſcentē Romanorum gloriam lex obtinuit & felicitas: nullumq́; in natos abſolutiùs permiſit dominium, niſi quod ſanxit amor, ſuæq́; poſteritatis intima decrevit æſtimatio. Et quanquàm plùs naturæ lege, eoſdē obſtrictos demonſtrâſti; plùs tamen ijſdē indultum eſſe, cave! inficias. Nullam etenim etiam politici inſtituti regulam advertes abſq́; appendice; releges ſine exceptione; naturæ decreta prorsùs exſvaviaberis mellea; quæ obligatione ligant & ſolvunt; ſubjectione premunt & indulgent; famu-

lari volunt, & conſorti deſtinant dominatui; obſequi cogunt, nec libertatem infringunt non parendi. Scimus multa â natis debere impendi officia Genitoribus: ſed nõ omnia; victimari pectus, litari affectus, addici amorem, ſed non integrè; quæ quia à ſuperis vendicantur totaliter, ijſdem tenentur refundi non partialiter. Hinc jactæ calumniæ emunda injuriam! exceſſit domo, ſummis ſummè decretis obſecuturus; charos deſeruit penates, dilectam Patriam quæſiturus; trabeatas reliquit ædes, ſumma Palatia petiturus; ſprevit lenocinia, quia debuit; contempſit opes, quia ſapuit; voluptates fugit, damno multorum & interitu probè eruditus. Quam notam & probrum Paterno inuſſit nomini? quæ appingis; quod dedecus domui? quid erubeſcendum Proſapiæ informi conciliavit facto? quæ adſtruis; ivit Auſonium trans Tyberim ſoli bene notus cælo: clàm religioſo delitelcit tugurio à crimine ſegregatus, à curis longinquus, à ſcelere vacuus, ab offendi-

fendiculo alienus. Cælitum placiturus Accolis, terreſtrium oculos declinavit. Non nocuit nomini: Patriæ non nocuit ſanctior transfuga: peccâſſe namq; in Patrem nõ potuit, qui in cælum non deliquit. Matricidij damnari nequibit piaculo: cui vitã impetrari ſtatuit ſempiternam. Meliùs fluxis conſuluit rebus, quibus in proximum ne vergeretur piaculum: ijs ſalebroſa innatare vetuit deſideria. Quot jam hìc non vidit naufragos? & doluit; quot communi periclitantes fato? & alieno didicit malo parem ſibi impendere & imminere exitum, niſi cederet de tabula velificantium. Meliùs fluxis conſuluit rebus: quæ ne animũ mergerent, ad portum divertit tranquilliſſimũ; fixitq; anchoram inter beata vitæ alcyonia. Non nocuit nomini: nihil avito datraxit honori: crimen nullum familiæ irrogavit. Cauſa facti allegatur integra: receſſit natus, clàm erupit filius, quia voluit; quia potuit. Intenti aſſenſum non petijt: in his nãq; vix debuit. Deformis centonibus, per vicos

errabit & urbes pannucius: quia ad ſalutis properare terminum ſic expedierat. Vilipendit prædia: contempſit bona: ampliſſimas deſeruit hæreditates: quia futuræ præponere poſſeſſioni iniquum judicaverat. Didicit inſuper in Anſelmo Mutinæ, in Agerio Aquitaniæ, in Gulielmo Burgundiæ, in Adolpho Alſatiæ, in Gonſalvo Luſitaniæ, immortalis memoriæ Ducibus: qui celſiſſimæ vitæ faſtidio, ducalem clavam non infra Piſcatoris tantummodò abegêrunt pedes; verùm intra religioſam umbram conſepelierunt. Didicit Cleodulphum, Sigebertum Northumbriæ, Veremundum Caſtellæ, Bambam Hiſpaniarum, Tribellium Bulgariæ, Joannẽ Armeniæ, Carolomannum Germaniæ Reges; qui vitæ proram, in hac tumultuantis tempeſtate ſæculi ambiguam, unicâ illâ ſalutis anchorâ munierumt; qui Purpuras lacernis, ſquammeas auro chlamydes endromine; ſolia obſcuriore odæi angello contaminârunt, incluſerunt, reſtrinxerunt. Didicit in Lothario Magno, in Ugone

gone Pio, in domitore universi Carolo V. ingentia illa sancti fastidij, & tantarũ majestatum contemptûs verè miracula! verè prodigia! qui invictissimam prærogativam Solij, Coronarum fastum, Sceptri arrogantiam, Potentiæ authoritatem privato lari, sibiq; vacandi studio postposuerunt. Ut securitatẽ amplecterentur in parvo: amplissima reliquerunt; humilem ingressi vitam: qui sibi suæq; felicitati in sublimi diffidebant. Non est, quod metuas Theodora! non est, quod queruleris anxia! si ij partam toties amisisse nequibant gloriam: Filius eorum jacturã facere non poterit, quæ non habuit. Etenim debiliter natus eam hæreditat sortem, quam avorũ animus vendicavit. Non gemma, non adamas Prædecessorum honor: annulari meritorum revinctus circulo: soboli nequaquàm poterit in arrham devoveri. Volucris, etsi non ales, pennata Majorum est Fama: manus nepotum renitenter involabit, magnorum facinorum visco non illecta. Cessa incon-

ſulta Patriæ, Familiæ prætexere damna; & quæ longo à nobis propitium Numen diſcriminavit intervallo: continuo ejulatu, indefeſſis lachrymis, dirarum machinis nō evoca, non ſolicita ad viciniam.

Confutatio Rationis 2dæ.

EXtrema conſilij petijſti Theodora: dum paucitatem populi, virorum exigentiam, caſtrorum penuriam, innumera demùm malorum pericula, præſenti è caſu & damno, patrio eventura ſolo & ſolio ominaris. Multùm probas, dùm multa ex uno incommoda Latinorum Orbi invehis; quæ ut minùs metuimus, ità vanitatem judicij leniore explodimus argumento. Ergo jam è bubulcorum caſis, ad poſſeſſiones vocabimus trabearum? qui tot tantoſq; exotici ſolis Principes, regulariſſimâ illectos libertate, meritorum attractos majeſtate, legū, jurium perſvaſos integritate, tot à ſæculis incorruptâ Romani honoris demulſos feicitate, hujus ad viſcera Reipublicæ, ardentiſſimis expoſcimur precibus, enixiſſimis obliga-

obligamur votis, demississimâ cogimur subjectione annumerare. Ergoné à stiva & aratro, quanquàm & ijs non infeliciter stetit, & Orbi imperavit Latium; ducemus Curios & Quinctios in fastigium? qui tot immortalis gloriæ Genios, alienis suppeditamus Regnis, & providemus; Ergo agresti pastorum è tugurio, abjectiore expeditum è cuna, ad thronos & solia Hostilios Tullios raptabimus & excitabimus? qui exterorum sceptris non postremos dedimus & concessimus Dinastas; ergoné per diversoria, aut institorias tabernas, ad diadematum, ad mytrarum decora Tarquinios Priscos investigabimus? qui sub crasso Boote natis, conspicuos soles; infimæ orbis oræ antesignanos & Principes suffragamur. Theodora crede! non ampliùs jam è macellaria taberna, ad consulares ascias expetemus Varrones? qui consiliorũ anima informi donamus & infundimus mundo; nõ ampliùs à rusticâ cannâ ad clavas, plebeios conscribemus & inaugurabimur Decios?

qui

qui exotica etiam caſtra heroibus, arma Hectoribus, exercitus Ducibus, præliares aquilas militiæ ſolibus illuſtravimus. Non ampliùs è ſerva Servios infami ortu, noſtrorum meritorum hæredes ſucceſſiſſe patiemur? qui legitimæ gloriæ natos ad Regnorum Purpuras, ad Provinciarũ poſſeſſiones ad totius Univerſi nobilitatem, noſtro è ſangvine virorum gemmas ſuffragabimur. Non ampliùs Actæones Romulidæ induſtrioſis theatris, Conditorum Urbis iſtius exemplo, in ſimile adjutorium, lectiſſimam Sabinarũ venabimur prædam? ubi noſtro, ampliſſimarum ditionum & dominationum Principes, vix petitæ ad conſortium gloriæ, ſe ultrò devoveant conjugio; ut plurimùm ex hoc ſuæ ſpondentes felicitati, dum eorum ſe vitæ ſocias advertant futuras: illorum gloriæ ſe videant & recognoſcant comites: quibus adorator Orbis palmam honoris, adoream laudis, coronam encomij offert & dedicat; cedit & ſacrificat ſuppeditaneus. Non videbit

Orbis

Orbis decuſſatas Romanæ Phalangis copias; non videbit ſæculum mortibus exhauſtas & contaminatas Purpuras; quæ in ſuis nō vernent, nec perennent nepotibus; ſiniſter & obliquus malevolorum non videbit oculus: ut Quiritum faſces abſq; directrice diſſolvantur virga; Adverſariorum non videbit expectatio natalem Tyberim, ſuo virorum & virium munimine deſtitutum. Non videbunt Gentes eas ad incitas Romanum devolutum genus: ut Palatia abſq; Principibus; Regiæ abſq; Dinaſtis; Conclavia abſq; Magnatibus; Auguſtale coronato abſq; vertice; Prætoria abſq; Conſulibus; Areopagi abſq; Arbitris; caſtra abſq; Heroibus; tentoria abſq; Hectoribus; papiliones abſq; militibus; armigerorum cunei abſq; ducibus; gynecæa abſq; virginibus; Palladia abſq; Muſis; Athenæa abſq; ſcholaribus; Peripathi abſq; magiſtris; turpi ſolitudine ſterileſcant. Non videbit ſæculum, nec ullum felicitati noſtræ inſultabit ævum: ut Purpuræ ſine Patribus; trabeæ ſine Pro-

ceribus; curules ſine ſatrapis; æſtimatiſſimis ſine viris faſces, ad metam & terminū properent deſitionis. Succedent nepotes patribus, futuri præſentibus, almoſq; Quiritum triumphos virtute fovebunt; meritis augebunt; nullo unquam fato, calamitate nullâ intercipiendis. Optima inquam cū profuſiſſima cæli in nos liberalitate fænera-tura: unum ex animo Proviſori Domino decus cedimus: quot urbis, quot patriæ ornamenta reaſſumimus! viliorem cultui Numinis impendimus drachmam: quam & quantam ex hoc ſemine gazarum, opum, colligimus meſſem! unicam cælo electā, Deo movente dilectā, è voto ſacroſanctis miniſterijs addicimus prolem: exnunc dignis palmitibus auguſtas ſoboleſcere proſapias advertimus; & in plenum gloriæ fructum, ad mille coronanda deſideria matureſcere. Salubriùs contende Theodora! & quæ natum incertis addictum deploras oris; Numinis liberè commendatum manibus ſpeculeris; hunc ſacram in victimam univerſo-

rum

rum Plaſmatori devove:ut pro tributis præmia, pro oblatis munera, pro holocauſtis dona, pro amiſſis repertam vitæ adoream, certior ab eodem proſpicias; expectata lucreris non incertiſſima.

Invectiva 5ta à Conſequentibus.

NOtabunt id tandem ſæcula: quod facile conſul interire facit; & obſtrepente labio veſtram incuſabunt ignaviam; ventura regeminabit ætas: & eam calumnijs ſuppliciabit incuriam; ad libram, ad ſtaterã aſſumet æquitatis, conſummatiſſimis gravidum & fæcundum decadibus ævum: & criminoſam arguet, damnabit, plectet conniventiam. Fædum adeò quodvis reputa piaculum: ut iſtius labes & macula, nullis penitùs abradi queat ſtylis; ità patulum: ut prætextis minimè valeat occuli umbris; ità monſtroſum & informe; ut ductis in planũ penicillo coloribus, non contegi, non emendari poſſit in ſpecie vitioſa. Prelum quodpiam noxarum reputa compaginem: vel quod in ſingultus & lachrimas cauteri-

atam premat & torqueat conſcientiam; vel quòd eidem dolendos ſemper, delendos nuſquàm imprimat characteres. Hinc jam tuæ proſpice & provide famæ magne conſul! tuæ gloriæ ſtrenuum age patronum; ſi noſtram deſpicis: honoris tui eſto veridicus, ſi nobis vetas. Sed tandē violente lenteſce furor: damna plurimorū urgere & prætendere, cuivis infame & turpe nomini; natorum moliri interitum, filiorum extorquere pænas, æqvè iniquum, æquè ſceleratum. Nullius reſultat error abſq; principio; nullius aſſurgit culpa abſq; motivo; habent quandam procedentiam & vitia, ſuo è primitivo originem petunt & authoritatem. Et ausûs & facti prolis, maternum affectum complicem ſiſtimus nimio natos ſtringebamus complexu: & tantæ plurimùm lenocinantes addiximus diſſolutioni; emedullato exſvaviabamur baſio: & frequentatâ toties dilectionis promulſide ijſdem impreſſimus nauſeam, tantâq; in dulcedine amarorem. Vileſcit namq; quod

non

non rarum; desipit, quod continuum; amarescit, quod perpetuum; minùs desideratur, quod non vetitum. Perijt natus: perditissimus nostri lugeat amor; extra filialis erupit subjectionis orbitam: sphæram dilectionis transgrediens matrum plectátur amor! collapsa universæ felicitatis expectatio: dissipator rerum castigetur amor! maculam Romano nomini temeritate quâpiam inussit soboles: fomitem mali noster inspirans aboleatur amor! errat per invios decursus & saltus improvisus hospes: opprimatur carcere, tollatur fame, mutiletur inediâ maternus amor! servilem alicubi natus execratur vitam: noster mancipatum non effugiat amor. Age Consul! discerne Senatus! utraq; res digna supplicio; utraq; acriore digna censurâ & notâ. En principaliter reum captiva amorem! dum proles nostras effugit manus; en jugulum stricto devove chalybi! ut demptâ amori vitâ, dolor tantisper leniatur. Age Consul! & vel natorum libertatē argue: Vel excessūm ma-

terni amoris corripe, tot tantaq; damna iniquè principiantis.

Retorſio antecedentis inſtantiæ, & invectivæ ex fine facti & intenti.

NOn nobis vivimus: dum communi omnibus perfruimur aurâ; nec præsenti tantùm laboramus ævo, inſudamus bono irrequieti. Non nobis vivimus: dum læſæ æquitatis rei, in ſucceſſuro profligabimur hærede; non nobis vivimus: nec noſtræ tantummodò officimus vitæ: dum multis mortem, pluribus necem, inſperata pleriſq; fata, levi prudentiâ, labili conſilio, erroneo ſenſu, præcoci judicio conſciſcimus, & maturamus. Eſt & nobis non minùs vitæ, quàm gloriæ deſiderium, ut qui ſingulorum felicitati hâc è ſpecula proſpicimus: abſit ſuæ quoq; non providere ſorti, imminentia non prævidere mala, nec præviſa arcere, ſcelus ſit nullo unquam ſupplicio expiandum. Iuſtè quâvis ex parte, cenſorij noſtrum impeterent ſubſellium Catones: juſtiſſi-

ſtiſſimè univerſa plebs acrioribus proſcinderet lingvis, ſarcaſticis exacerbaret probris, nulliq; prorsùs cauſæ affectos ſalutariter autumabunt; dùm uno nefando in caſu, honori ſuo advertent improviſos. Non inquam ephemerorum auſpicamur vitã: quorum brevis & argumentoſa felicitas; unius decurſu diei exantlata facinora unà cum vita contumulare. Non inquam in hoc Latino orbe, velut felicem intra Panchaiam phænices audimur: quibus vel à raritate conſilij, vel à proprietate judicij, patratũ crimen veniam faciliùs obtinuiſſet; ſuiſq; intra buſtuaria conſopitum & conſepultum cineribus, ejuſdem generis & ſpeciei viris non ampliùs nocuiſſet. Sub eodem actu nullis diſcriminato Kalendis & Nonis, quibus legum inaramus pandectas, nòs ipſos ſententiatos novimus; & dum excuſſis cauſarum quæſitis decretoria conſcribimus volumina; ad mali boniq; ephemerides, velut primum & principale geſtorum caput, ex facto relabimur arctiùs compingendi,

di. Vide quid ambias? quod ambire nulli innocuũ; vide quid expetas? quod nulli petere regno, nulli expoſcere imperio, judicioſum. Vide quid ab infante prætendas ætate? quod annoſum ſæculum non aggreſſum; vide quid noſtro definiri urges oraculo? quod primorum capitum verbũ mentis non concepit. Ergoné hoſtes patriæ eos declarare audes? qui ut inteſtinam civium arcerent hoſtilitatem; ſub onere langvere & inſudare non deſiſtunt. Ergoné depreſſores legum fictâ opinionũ ſpecie, per inviſas duces & raptabis curias? Ergò Patres negabis Patriæ? quos Auſonius profitetur orbis, quos Romani adorant colles, & ad parem Jovis Capitolini gloriam ſubmiſſo infra calcaneum attollunt vertice. Ergò vigiles incompoſito affectuum motu exagitabis Dictaturas? quibus Latium arrectas aures, Qvirites obſervantiam, Romani obſequentiam; populus fidem, authoritas æſtimationem, cuncti impenderunt amorem, ipſaſq; Divorum ante

te aras, pijſſimo teſtati ſacramento devoverunt. Tandem rem in nodo tangite! & quidquid noſtro impudenter appingitis ſtatui, veſtro nociturum nomini auſcultate.

Dioſcorus captivam in domo Filiam, verbis, diris perſtringit & attonat.

ARma ſtringe carnifex! tortori vires, iras, animum viruſq; inſpira Phlegeton! hominem lictor exue! frontem amitte, & oculos! obſurdeſcant aures: callo obrigeſcat pectus: viſceroſæ corrumpantur medullæ: amore bullientes conglacientur arteriæ: ſenſum, conſilia, rationem bruta confundat & immutet affectio: ut nec lachrymæ emolliant; nec compta oculorum vincat & devinciát acies; nec ſingultientia arietent pectora; nec immedullata demulceant verba; pigmentoſi non infaſcinent aſpectus; non flos juventæ capiat; non dos virginalis corrumpat nive candidior, corallo ardentior, cerâ mollior, vultûs & genarum ſpecies; ferrumq; non molliat, chaly-

bem non hebetet congenitâ qualitate præſtigiatrix. Succende pyras! flammas incito; inflamma rogos! cineres expecto; focos anima! piaculare ſupplicium urgeo, & extorqueo; æneos conflate & efferate tauros! uratur, cremetur noſtro honori inſultans Paſiphàè. Libicos in lanienam & necem fame exagitate leones! objectâ ſangvinis prædâ, in cædes & funera exaſperate dracones! tygrides, ſerpentes Lernæâ eruderate ſpecu! lora, nervos, ungulas, ſpinas, dumeta, candentes igni diſponite laminas! ferociſſimos admotis calcaribus exercete ſonipedes! raptent per compita, librent per colles, ventilent per prærupta, diffindant per convalles, per vicos, per plateas; ſub calcem, & ſaxorum offenſam agant caudis annexas exuvias, impetu, curſu, feritate incompeſcibili. Vide Barbara, in Patrem levitate barbarior! vide vipera noſtro infenſa & inimica ſangvini! vide læna patibularij Hominis capta & proſtituta amoribus! vide pellex nefandis incæſtuoſa

culti-

cultibus! Danäen te simulas? mox ignescens, post aurũ potabile prægustabis plumbum; te Lædam salebrosa jactas Papho? olorinam culpam fontibus mersa ablues sorbentibus. Cessa immortales Deos! cessa Dinastas! Parentem lacessere cessa! ni cesses vivere. Vitam, quam tradidi, repeto; incolumitatem, quam fovi, intercipiam; amores, quos spopondi, immuto; opes, liberali quas sparsi & congessi manu, alienorum in usus prodigo; hæredem mancipabo; mei imaginem delebo; filiam torquebo captivabo liberam; vinctam in compedes agam immortales. Morem Patri gere consentaneum! ultionem effugies; jussis impende obsequium! armata odia evitabis; vitam charis conforma genitoribus! dies, horas adolescentiæ non rediges in compendium; Religionem avitis impende simulacris! ad cautes, ad saxa, ad rupes perjuria Niobe non damnaberis. Nihil in favorem spondes? nomen, favores, gratias execraris maledicta? viscera arrodis lacerta? infru-

nita ſilveſcis bellua abſq; manſvetudine animi, abſq; facili votorum propenſione, abſq; rationabili primis obſequentiâ. Vide Dioſcorum exnunc re & nomine exuiſſe Patrem: & Diomedem metue! Mezentiũ fuge! Buſiridem expaveſce! admirare Scyronem! reformida Sullam! vincta cades, flagellata ſapies, proſtituta dolebis, interempta vitæ ſuſpirabis officia, oppreſſa lugebis peſſimum in genere, infame in ſpecie, ſceleſtum in actu propoſitum, velle ſuis Majoribus anteire. Moram tolle! equuleos incita! vulnera acue lenteſcens inter iras ſicarie! cædes, ſupplicia, tormenta, proroga uſq; ad internecionem. Vivis inter flammas Salamandra? Riphæis undis ſorbeatur; doloſa ſyrtibus innatas Syren? ſilice, caucaſo deprimatur; in ſpinis roſas, in ſaxis panes, in morte vitam, in cicatricibus remedia, Pythonia experiris ſaga? cæde jugulum! hebeſcit mucro; pugiones in præcordia torque! liqueſcunt acumina; nocentem funde, & exprime ſangvinem! heu inaudi-

tum

tum ſpectaculum! lacteus trunco è corpore dimanat humor. Spirat? collide pectus; palpitat? vitalitatis interrumpe venas extincta? pars flammis, pars carnivoris; pars exuviarum cineri, ſub dio, ſub cælo, ſub aere deſtituatur.

Manſvetiſſima Filia ſæviſſimum Patrem interpellat.

QUid agis Pater? meæ venuſtatis illicio amores merui: odia retuli. Pande affectuum viſcera! & firmiùs integritati præſidium conceſſiſti. Non Semyramidos mænia, non Babyloniæ turres, venalem munient & arcebunt animum; ſecurior virginitas, cui cuſtos in aperto periculo excubat amor & deſiderium honeſtatis. Nec unio ſecurus à labe ſub teſta; nec aurum à rubigine ſolicitè in thecis obſeratum. Adamas pluvio ſub cælo nitidus; intra annulorum compedes, ſuæ frequens illachrymatur felicitati, & rore nitorem obſcurat humectatus. Virgini non credis? fidem

natæ perhibe; formæ diffidis: quid lubricum in specie relegis? solidum in animo testor propositum innocentiæ. Ebur nivei candoris contemplaris in vultu; obscænũ quid metuis? accensas pyropo intueris genas: ad umbram, sive opinionem mali, innocuæ flagrant verecundiâ malæ; rugis nõ caperatam frontem, torvo vultum non exasperatum supercilio vides & inspicis? signa ad placitum temerario non adstrue judicio. Non semper cũ forma pugnat virtus; qvia rarior Thersiti & Medeæ amica acquiescit. Amant, amant candida innocuæ tecta possidere columbæ. Quid verbo fædum, quid facto leve, quid incessu suspectum, quid propensione devium, quid aspectu morosum, quid intentò lascivum, tenerâ maturavi in adolescentia? nulla mihi adeò non defæcata mentis ratio: quæ aut decipi, aut ludi, lædiq; se sineret specie boni apparentis. Proh! chare Genitor crudelitatis fungeris officio, non consilij! liberæ habenas voluntati inijcis? quoties hoc

hoc ipſo diſcolam & inſrunitam redderes! niſi altiſſimo deſuper regeretur moderamine. Tempori ſervire putas, æterna ambientem; indulgere ætati, extrema vitæ meditantem; infima ſapere, ſuprema anhelantē; fluxam abire metuis poſt voluptatulam: alia quæro, alia appeto, alia in mentis exceſſu defigo oblectamenta. Quid purior deliqui Veſta? carceres, turres, ſpelæa non merui: niſi quod flammas virgineo ſub pectore nunquam recoxi infamatas. Viva in hoc cur defodiar latibulo? nihil mortale egi; ſanxi, ſtudi, optavi corpore Angelos, mente ſpiritus, Divos vitâ innocuâ ex animo imitari. Amove feras! reclude cardines! pande oſtium! nihil fædifragum, nihil apoſtaticum pudicitiæ clauſtra, innocentiæ ſigillum violabit. Inferiorem animi nec video, nec ſentio reluctantiam: dælicijs aſſveta inhærere ſuperioribus. Mancipatum fugio electa ad libertatem. Decipi reformidas tenellulam? captam torques; & labem averſurus nominis, ſquallore, inediâ, macie ju-

ven-

ventutis florem consumpsisti. Ast & mei, ignotis quanquàm ergastulis conclusæ, sat est clara & manifesta notitia, sat animi conspicua pulchritudo, cum Numen in amores traxerit humanatum. Verbo obarrhata Æterno, amores, quos spondes; illicia, quæ paras; fortunas, quas recudis; bona, quæ polliceris; successus, quos præconcipis; damno, reprobo, pessumdo, despicio, vultu, animo, contemptu, castior Penelope, floridior Daphne, purior Diana, tenacior propositi Lucretia, animosior Rutilia, comptior Pandora, DEO vero intimiùs exornata. Si credis? annue; si dubijs ageris & angeris? proba; si curiosus laboras? expende; in igne aurum, in ferro adamantem, ubiq; gemmam nitore, constantiâ, puritate, ad illecebrarum venena insudantẽ, gementem ad fascina, incudem inter & malleum, verè serenam, verè splendidam experieris.

Lito-

Lictores tela in D. Stanislaũ torquentes improbantur.

NE feri Patrem! cruenta in Divum lictor attollis & vibras tela! torques in cicatrices jacula! gladios, acinaces, sæviore miles addensas manu! vide fulmina! vide ad vindicias densissimis cælum armari fulminibus! quod actis in Præsulem injurijs lacessivisti. Ne feri Patrem! vulnera suorum non longiùs dissimulant & patiuntur superi; illata opprobria non despiciunt. Tandem rabientium lixarum lentesce ira! nî celeres in tui supplicium libeat furias provocare. Lentesce immanis furor, excusso rationis fræno, in impias cædes effervescens. Ne feri Patrem! is ipse obtestatur amor; qui Divum in hæc impulit vulnera. Tacent accisa lingvæ organa: confecta letho obmutescunt labia: in lucta mortis violentior non silet animus; vitâ recedente suis in officijs deficiunt potentiæ: defectũ non patitur charitas; en verba rotatim circumfluens notat & animat cruor! en articula-

culatam vocem exartuati imitantur articuli! en indubitatâ fide se sui muneris probat virum! ut plures cælo lucrifaceret animas: ponit suam; ut superis conferret omnes: seipsum eliminari è terra viventium non refugit, non dubitavit; ut mandra Christi rapacibus in lanienam non cederet lycaonibus: ipse in offam cessit voracibus; ut innocuas oves non ampliùs sævientium læderet & offenderet rabies: ipse eorum conteri & comminui passus dentibus. Cessa lictor! nî cesseris: parricidij lues & dabis pænas; ferrum reconde miles! ni tela posueris: novis æthera in impium caput armabis jaculis. Cædis victimam maligne Flamen! barbaros hos ritus in cædis ministro Ignis lustrabit Consumens. Mollescit profuso rupella sangvine; cor adamante durius, caucaso immobilius, integrè occalescit. Erubescunt ad tanti facinoris piaculũ præsentes huic spectaculo undæ: flammis incensus carnifex, fundit per genas ruborem, sed non verecundiæ; rubori successivè ad-

mi-

miſcet pallorem, ſed qui immanitatis & tyrannidos foret indicium, non metûs, non reverentiæ, non pavoris, in hac mutatione rerum alterantis. Excede loco! facti complicem & authorem non ampliùs offenſum contempletur cælum; ſacris excede liminibus! maledicta in opere ſuo Te capiat & comprehendat tellus; militantis Eccleſiæ ſuſtuliſti Ducem: ultorem nequaquam ſceleſtus effugies gladium; en vicini aris gemunt, & factum attonant parietes! en ſponſæ dolor necem ulciſcitur ſponſi! & parentali Mater tanti nati orba præſidijs cæſores fulminat anathemate. O! lentam ultoris ſcelerum iram! o! cunctabundā præcociſſimi diſſimulationem mali! itané cælis victæ & revinctæ manus: ut nulla violenter preſſis ſuppeditet ſuffragia! itané lenta ad vocem ſangvinis juſtitia: ut in ferventi crimine, impios ſangviſugas ad æterna non reprobet ſupplicia! Vident cæli: nec moventur; ſentiunt offenſam: nec vindicant; ſeſe in ſuis dolent opprimi: nec ferocientis

populi reprimunt impetus; nec virus retundunt inſanientium. Tandem videte ſuperi! maleſana in cædes effervеſcit gens: non in terficitis; ſævit in immanè: non reſiſtitis; Divi innatat cruore; non demergitis; intempeſtis flagrat odijs: infernali Veſuvio Mægereos partus, Eumenidum conjuges, avernalium conſobrinos lemurum, igne, flammis, barathro non abſumitis.

Divus Staniſlaus ſui Cæſores compellat.

SUbſiſte frater! ut quid veniſti amice? non requiro; facta me docent tua; bulliens è vertice ſangvis deſcribit cauſam inſolentis. Moram pone votis! nullum intempeſtivū momentum eſt ad interitum. Modicum temporis ſi ægrè violentus ſuſtines punctū! æternam durationem cur non horreas. Mori non timeo ut homo, timeo ut viator. Veſtram non meam lachrymabundus ſangvine deploro perditionem: heu culpa ingens! quæ tanto planctu manet expianda. Amiſſurum me animam non credite! quā

in

in vita odisse contemplabamini; hanc pendere in mortem non recuso: ut universos beatæ vitæ lucrifaciam. Subsiste Christiane homo! intima non movet filiatio: moveat proximi obligatio. Parce Creatori! qui manus Ministri pro throno implet & occupat sacramentaliter: cæterùm manus, hostilitatem haud effugio creatura. Sacris saltem non admisce profana! criminatoris tabum non affunde sangvini sacrosancto. Sub nivea qualitatum specie innocentissimus dælicians Agnus: his in thermis ampliùs refugit balneari. Necem tantisper non accelera sicarie! ut vivus vivum æterno Patri offeram Unigenitum. Me trahis in victimam, cæptum priùs consummem sacrificiũ. An DEUM præsentem ignoras? doceo; si non credis? fidem sangvine approbo. O! demens Religio! patrata in Numen facinora, meo cruore expiare. O! inauditam pænitendi methodum! contractas in multitudine flagitij culpas, unius supplicio & pænâ velle abolere. Recede lictor! tuorum

rituum profane recede myſta! quod rubrũ ſequeris? encennia has inter aras celebrari contendis, & inſolitas hac in Patria primitias offerri pro DEO,& in DEO morientiũ. Vide! hanc aram morituri tabo non contamines? in qua vivorum & mortuorũ fit oblatio. Heu deforme in purpura ſcelus! dum mei colore ſangvinis geſtit contegi & circumpingi. Quô gregi deeram in officio? pavi ſolicitus, fovi vigilans, protexi irrequietus. Quæ ſitis? quæ eſurientium rabies? pabulum ferocitati expoſcitis! non vitæ immortalis nutrimenta; ſacram acceditis menſam, armorũ incitati ſonitu, minimè DEO ſacrati æris lituis Angelicas ad dapes invitati. Corpus dum deſpicitis immortale, mortale ſceleſti vultures appetitis. O! ferale apparatu convivium! in quo plurimùm deſipuiſſe mens ipſa arguit: palato frementium cur arrideat. Si carni, ſi genij veſtri vitijs nunquam placere potui: nec cæſus conducam ad ſalaciam. Senties violente lictor, quam amara mortis meæ fu-

tura memoria. Iam menſuram attigit malitia; quas juxta partes indiget augmentari; truculenta mei diſmembratio, vobis addet articulos iniquitatis. Si regenerari in ſpiritu cupitis? hæc mei corruptio, non eſt via ad ſalutem. Sangvinem libens miniſtro, utinam ex hac jam DEO victuris! ſed viperas, ſed ceraſtes naſcituros ſpero: non homines primitivi ſtatûs & innocentiæ hoc è miniſterio vitalitatis efformandos. Veſtræ jam naturæ officitis: inhumanum ſequentes modum alterandi. Eja miteſce! ſævior tygridibus miteſce bellua! vertici bipennem inferis: mihi laurum & pacis oleam, tibi cupreſſum & taxum fati præſagam implantâſti. Pectus præcordia ferro reſera! quâ parte armata veſtri complectar odia intuebimini. Parcat ſui non mei offenſam Deus: qui vitæ non parcitis. Animam extorquetis: quod non proprium; eam pro vobis immolo: quod eſt meum. Iam ſaltem vel mortuum diligite: quibus vivus ut *ſal terræ* pupillam læſerã & affeceram. Cine-

res

res ſaltem in cordibus quieſcere ſinite: dum ſciſſa membra in prædam rapacium conceditis. In hoc vitæ exterminio, amicum Pater quod precor vale, ſalutis Fons Deus, ſuis compleat in benedictionibus.

Affectus Academici in Sanctum Sanctorum, in Curiæ Cæleſtis Reginam & Dominam, in Patriæ æternæ Electos & Cives

Sapientiæ Æternæ

Artium Artis Propagatrici perpetuum amoris votum & ſtudium.

ET paginam ſupplex explica!
Et thecam reſolve præcordiorum!
Ut pluvia in vellus,
Ut ros matutinus in aream,
Veniet, deſcendet, ſtillabit
Sapientia.
Attingens à fine ad finem omnia:
ſingula ſciendorum myſteria

In

In Artium Arte Eloquentia idæabit.
Ab hoc Æternitatis centro,
Optimè Oratoria dimanat periodus;
Nec punctū, nec notā imprimens hebetudinis.
Rectâ ut currant circuitus lineâ,
Hanc in ſphæram reflectantur.
Flecte acumen calame!
Calamitatum ne imprimas characteres.
Svadam cernuus à Verbo expete!
Ut diſertum Gratiarū deſertum nō ſuffocet.
Artē benè, ornatè, & cultè dicendi aggrede-
Ex VERBO deriva! (ris.
Ab hoc primitivo elegātiſſimā Dictionis for-
Non enim articulata Dictio, (matio.
Quæ ab ore procedit non Altiſſimi.
Muta Eloquentia,
Hinc niſi vocem mutuetur.
Eſurialis, & jejuno maſticanda palato Oratio,
Quā Verbū nō condit, non reficit Incarnatū.
Rerum Principium DEUS,
Initium laboris occupet.
Acephalum futurum non eſt opus:
Quod humani generis Caput conſignabit.

Nec decet primam frontem devovere alteri,
Nisi Regi Regum Altissimo.
Etenim frontem amisit & oculos,
Si universorũ Capiti nõ credidit, nõ sacravit.
Caput divisum in Capita minùs discit docetq;:
Si aureo amorum corde non compaginat;
In quo universarũ rerum comprehenderet
SAPIENTIAM.
Aliàs vile & humile exordium,
quod DEUS non exornat, non initiat.
Itaquè:
A te Verbo Æterno
duci in tempore facundiam expedit;
A Te immensitatis Archipelago
fontem eruditionis haurire placet;
Vernantiã styli ex Te Flore campi lectissimo
colligi ver svasit Oratorium.
Tu mentem imbue, Tu lingvam erudi,
Tu calamum acue,
& stylo, & svadâ, & ingenio.
Verbum Patris disertam redde Eloquentiam!
Lux, via, vita mundi
Animi caliginem dissipa,

erro-

errorum calles obſtrue,
mentis impedi deliquium.
In Verbo hoc laxate retia !
Rhetorico inOceano opes Fortunæ piſcaturi.
Iam Sydonij muricis prehendite lanificiũ !
Agnum ſecuti illibatum.
Sacra tandẽ quiſquis pronus allambe veſtigia:
Ex ſub quo fons ſcaturit dæliciarum.
Specioſe præ filijs hominum
ſpeciem formarum perfice !
Ad imaginem hominũ facte,
noſtris fave coloribus !
ut veram tui referamus ſimilitudinem
vitâ, ſtudio, moribus.
Opus architectamur Eloquentiæ,
Angularem Lapidem, te deligimus.
Regiam ejuſdem,
& conclave conſiliorũ ingreſſurus
Ad Te oſtiũ ſtat,& pulſat Orator;
In vota celera Verbum Humaniſſimum.
Affabîlem ſupplicibus Humanitatem exhibe!
a poſtibus Gratiæ non arcendo.
Abſit Tulliana juventus

Exorare votis Romanæ Parentē Eloquentiæ,
dùm Filium habemus hominis.
Si Ignis Consumens est?
cruda excoquet ingenia.
Si Caput ejus aureum?
gemmeos quis desperet conceptus.
Si manus ejus tornatiles?
comptas quis non volvat periodos.
Si crines ejus vincti canalibus?
quis in Arte soluta appareat dissolutus.
Si purpura indumentum ejus & byssus?
quis regio Eloquentiæ non tumeat apparatu.
Si collum ejus niveum?
nemo Palladij inter noctuas corvū induet.
Caput innexum spinis ad acumina!
Diro atrociùs confossum vulnere!
ut in nos propendenti scientiæ,
vias referâsset purpuratas. (nua:
Trina huic in sacratiore pagina flectuntur ge-
in hac cernuus quartum jam flectit calamus!
Hoc ante submissiùs cadit Verbum:
ut ad palmare centrū Rhetorū
volet sublimissimus.

Ne-

Nemo ſvadet benè, dicit ornatè nullus,
eleganter delectat nemo
Metaphorico hoc VERBO
nunquã diſertus, nunquà n eloquens.

Conſiliorum Authori, conceptuum Aſſertori, Omnium Studiorum Magiſtro Abſolutiſſimo, Spiritui Diviniſſimo, votiva amoris ſpiratio.

Jter quod aggredimur,
labori, calamitatumq; periculis obnoxium:
ſtadium Coronæ eſt;
ſentibus, & aculeis implicatum.
Offendit toties illiſus ad lapidem,
eruditam Memnonis exercens latomiam:
Dextera Paterna eleva!
Periculum eſt:
ut ſalſugine laborum preſſi,
felleã reſpecturi ambroſiam non aſpiremus.
Dulciſſima ſine felle *Columba* orexī tempera!
nullæ mentem cupediæ ablactabunt.
SPIRITUS DIVINISSIME
animi diſſolutionem impedi!

ne informe quodpiam hâc è corruptione
reſultet compoſitum.
Primæ inſuper materiæ limita appetentiam,
Gratiæ ſpecialiſſimæ exiſtentiâ.
Malefica eſt:
quibuſvis vanitatũ præſtigijs
poterit informari,
vitiorum ab incubis
Tuo beneficio minimè præſervata.
Fontes affunde Oratorios!
ne aquæ Tantalos alliciant doloſiſſimæ.
Soli fontes annoſa devoverat ſuperſtitio,
Orthodoxa oratorũ religio,
Igni litat ſacratiſſimo:
æſtum excita ſeptiformem! & ardebunt;
nihil ipsâ naturâ reluctante.
Fomitem mitte in paginam!
ne velites inter Eloquentiæ fluenta intepe-
Pennas remigio applica Oratorum! (ſcant.
ut volent ex inſidijs
ad ſupremam regionẽ libertatis.
Columba innocentiſſima,
doce gemitum inenarrabilem!

mox-

mox ſolutæ artis aſſeclis,
diſſoluta Liberi hilaria ama/ ſcent.
Patriæ pullos aquilæ,
ſub te veri amoris Pelicano,
altũ doce ſapere exemplariſſimâ humilitate.
Corda qui nôſti omnium:
deſigna candidatos ad coronam Eloquentiæ.
Et ne proni faciliùs dilabantur cogitatus:
Optatis tempora muni, refræna adoreis!
ſic aditum
importunis ſenſuum excubijs præcluſiſti.
Pro laureis ramum olivæ profer!
ut intimam amicitiam cælis paciſcamur.
Antevola ſtudiorum Apex & Auſpex:
nihil fatidicũ Atticas inter aves
pertimeſcimus.
Mæandros, umbras, fallacias,
Errorum, vanitatum, ignorantiæ,
ut Via, ut Lux, ut Veritas,
ſpiritu, radio, fortitudine
extrica, ſerena, dedoce.

Augu-

Augustissimæ Regum Dominæ pro Corona Reginæ Artium Eloquentiæ votum supplex.

Mundi, Cæliq; Domina,
Tulliano præside imperio!
& animorum Tullianum
Paradisus voluptatis
svavissimis æthesijs inhalâsti.
Flores campis apparuêre Oratorijs,
Te ut pluviâ in vellus,
velaq; cordiũ descendente.
Eja vestram pellite Classẽ Iasones!
mille alveis Gratiarũ exundat plenitudo.
Fluctivagi errones sidera proscribite erratica!
votis omnium vigil Aurora excubat.
Orientem expectate felicitatis!
Sed omnia clarescunt supra meridiem;
Sole in Virgine horoscopante.
O! sorte data optimâ!
Coronam exhibe meritorum.
Suprema ad thronum Agni Ministra,
Altissimũ Tuis svasibu reddes obsequentẽ;
Para-

Lectiſſima Seniorum divide ſtephanomata:
Infimos ſummis, ſummos infimis æquatura.
Ancilla & Domina,
inconſtans fortunæ numen
doce, adige fideliùs ancillari.
O! manus tornatiles
repetitis exſvaviemini baſijs!
Singula faciles decora referre,
extorquere ab Omnipotentia.
Aureum ad vota refulget ſæculum,
Ferreos damnate & domate animos!
Congenitæ affines rubigini,
vile pondus excutite!
Verticem ſuper ſydera elaturi.
Rudis idiota eſt:
Qui plumbum auro, argento ferrum
Virtuti vitium, felicitati pericula,
Vulnera, cædes, remorſus conſcientiæ
perpetuæ ſaluti anteponat.
Vaniſſimus eſt:
qui in ſuæ adoreæ pretium,
Gemmam Mariam non adlegat:
Inops defactó concha

eruditâ emergit Hypocrene,
Hac Fortunâ non ordinante.
Regia Eloquentiæ gaza
erui, conquiri poteſt difficilè:
Suis intrinſecè abdita locis & obſerata.
Pauper inter opes:
in rerum affluentia egenus animus:
ultimæ conſulite neceſſitati!
Et fontem Gratiarum Mariam coronate
Votis, animis, affectibus:
Iam ſerta, Coronæ, gemmæ,
Neoptolemis, victoribus, pediſſequis
abundiùs dimanabunt.
Sacratiori *Helleſponto*
torques amorum inijcite!
His mens vincta & victa
indeſinens teſtetur famulitium.
Ceream in malum recudite flexibilitatem!
Diviniſſimâ hâc luſtrati Thethyde,
Ne talum voluptatis jaculo
obijcite penetrandum!
Semper teneri,
temeri nunquam Achilles.

Lethi

Lethi inquam veſtigium eſt:
etiam inciſio extremorum.
Nulla pars hominis
vacat ſenſu, vacat dolore:
Nulla letho impeti,
& appeti permittenda.
O! *vitæ Princeps* Nobiliſſima,
tela comprime inimici!
Summis triumphis inclyta,
claſſicum declama victoriæ.
Infinito VERBO fæcunda,
Oratorium Eloquentiæ conſecra ambitum
Vota Omnium conſecrâſti.

Maximæ Nutritio ſpei clementiſſimo, Verbi Æterni Putatitio Patri fæcundiſſimo, Divorũ Protoparenti celeberrimo, Sanctiſſimo JOSEPH perpetuæ filiationis teſtimonium.

Lac concupiſcimus Sapientiæ:
Cibo ſolido Tuæ gratiæ
Tyrones refice.

Lacteam innocentiæ viam
Beatorum Patriæ redde conterminam.
Fugâ ſalvâſti *Innocentem*;
In via mandatorum ſiſte fugitivos.
Ægypto immenſitatis invexiſti *Oceanum*:
Nobis *Nili* oſtia
pande *Septiformis*;
Fluant ut plenis alveis
in deſiderio areſcentibus.
Archimaris Mariæ Rector prodigioſiſſime
Mundi compeſce procellas!
ſcyllas latrantes averte & charybdes!
Ne ſacræ devoti *Minervæ* Tritones
abyſſo ſorbeamur.
Sidus affulge optimum!
Et integrum votis cælum inclinâſti.
Æternæ Cuſtos & Bajulus *Sapientiæ*,
Noſtræ *Artis* age Patronum,
Rectorem Facultatis.
Tranſlationum conquirimus argutias:
Argue, increpa Doctor Diviniſſime!
Ne à propria deſciſcamus ſignificatione,
Factis brutam expreſſuri ſimilitudinem.
Schem-

Schemata ad nobilitatem ingenij Oratoria
Palladijs meremur in caſtris:
Figurā difformis averte Prothei:
Ne formas vitiemus nobiliſſimas.
Rotundas ità conſeramus periodos:
Rhetorum circumſcribamur circuitu:
Ut nullius in filo
pendeamus Ariadnæ.
Fatale aliàs prehendimus lanificium:
Doloſior hæc Clotho
ſtamen ducit ad interitum.
Flos florum lectiſſime:
Ver adfer Eloquentiæ:
Candoris lilium, verecundiæ roſas;
humilitatis violas,
Omnigenæ corymbos probitatis.
Hæc autumnus non ſpoliet,
Nothus non violet,
Malè rigente notoriorum
exortus regione.
Noſtræ Faber fortunæ:
Propugnaculum erige munitiſſimum !
Ut mens lateat

Tuo ſecura præſidio.
Pater Regis Regum Inclitiſſimus:
Filium poſſidens
ſupra omne decus & coronam;
Patrem noſtræ age Eloquentiæ!
Et ſingulos in Filios adoptâſti.

Patri Filij, Scholarum Piarum Authori Alumni, Divorum conſorti Cultores perpetui, in ævum Propagatori virtutum Athletæ, Venerabili Servo JOSEPHO à MATRE DEI perenniter clientes infimi, inter Aras ſcholaſticas Sanctorum Apotheoſim & duliam.

In pagina
licet *Divo* honores inſtruere:
quos perenniter
ſupra firmam *Petram*
nititur *Suprema Poteſtas* fabricare.
Surgent debitæ celeriùs Aræ,
talibus innixæ fundamentis.
Nec caſſa accidentalis gloriæ
exci-

excitatur ſtructura;
Cujus fundamenta poſuit CALASANTIUS
profundâ humilitate altiſſima.
Opus perficiet ſacroſanctum
Quivis in hac *Eccleſiæ ſpecula*
BENEDICTVS:
Cujus operæ
impendit pretium de condigno;
Verè JOSEPHUS
Eccleſiæ DEI Oeconomus:
qui vocatis ad numerum
& ſyllabum meritis,
ditavit & dotavit theſaurum uberrimus.
Olim *Arragonenſis*,
nunc cælorum *Patritius*,
nihil magìs & majùs arrogat:
quàm cæptâ humilitate,
in *via* creſcere
ad ſæculi conſummationem.
Peraltâ oriundus,
dùm ſumma
in *viſione DEI* tenet faſtigia:
cuncta præſentis gloriæ

diſſi-

dissimulat altissima:

Pauperum Matris DEI Author:

ergò Beatus.

Pietatis, Doctrinæ, Magisterij Institutor:

Ergò fulget velut *Luna*

inter stellas minores.

Comprehensivâ Claritate perfectissimus,

Somnia dici de IOSEPHO

ne reputes?

Quod vigiles *Ecclesiæ Aquilæ*

amæniùs contemplantur.

CALASANTIO nihil detrahes?

qui dùm omne in terris

egit cælo sanctiùs:

omnia in Patriam retulit,

Orbi virtutum, Prodigiorum

impressis simulacris.

Servus & Filius

à Matre DEI nuncupatus:

Ergò cælis *Electus*, DEO *dilectus*;

Utinam! jam Orbi

Sanctus declametur.

O! sera & lenta temporum molimina!

qui-

quibus in instanti
æterna illicitum definire.
Occasu extincti Annorum
redite Soles!
Liberalitatis jacturam erubescite!
quam in negatis
Divi temporibus radijs intuemini.
Sed leves cannæ & scirpi,
quâ virorem explicent:
modicam expectant lucem;
speciosæ ut gemment uberiùs arbores:
Solem in summo expectant,
& expetunt beneficum.
Sic lappis
quævis uligo terræ fæcunda:
Floribus rariùs prospera,
rariùs secunda.
Quæ æternitati parantur:
Ævum impendunt operi
non solitarium;
Cæteris hora brevissima sufficit,
sed citiùs interituris.
Tace tuæ vespillo gloriæ!

Tibi umbram mortis acceleras,
dum *Lucem Divo* corripis.
Radios tanti *Capitis*
per inficias, ne inficias!
quod gloriæ lumen
pleniſſimè honeſtavit.
In luce, dùm lucem habetis:
ambulate!
DEO, cælo directè injurius:
quia ſacrilegus;
dùm cultum minuit,
honori detrahit,
gloriam afficit,
conceſſam in ſæcula,
in ſæcula hæreditatam.
Ceſſa hunc ſaltem cavillis lædere!
Quem *Fortium Armatura*,
poſt luctam fecit *impaſſibilem*.
Non dolet, quòd torqueas?
quòd vibres in offenſam tela?
Dolet:
quod tuum acuas ad interitum?
Grande Divorum vulnus!

Ver-

Vertumnoſos cernere,
capitoſos videre,
cultûs ſui hoſtes inſanire.
Quos namq; extra lethi periculum,
& metum ſors poſuit:
Cæteros in mortem perpetuam
conſciſcere & conſpirare
maximè metuunt.
Summi honoris latro,
vitam non adimis *Beatorum*:
quam vivorum in auribus carpis,
& mutilas criminator.
Time cum rapina
in ſpolium cedere æternùm morituris.
Multis lingvæ vertigo
ſcelus conflavit capitale.
Sic facilis!
ſic inconſulta verborum inflexio!
In repentina flagitij verbera
inclinavit.
Præmiatam
nemo ſententiatur Virtutem:
niſi extra meritum conſtitutus.

Cæcus inquam
ut plurimùm de colore judicat:
Lumine illuſtratus *Gratiæ*,
nunquàm.
Ad terminum, ad metam *Beatorum*
pertingit minimè:
Qui medium non meretur *Viſionis*.
Demit ſoli radios,
ſed ſolùm tenebrio talpa:
Quia cæcutit.
Lucis oſor
ſerenitatem inquinat bubo:
Quia latibula tenet vitioſus.
Injurium fors reputat livor:
Quod *Proviſor univerſi*,
publico indulget emolumento.
Et laureas, & cæli adoreas
Verè novimus deſtinatas diligentibus:
Hinc aut diligere neminem,
aut eaſdem nullum obtinere poſſe,
male diſcernit & confidit!
In utroq; graviùs
ſupra menſuram mali hallucinatur.


Bravium beatitudinis petere;
Præmium eſſentiale capere:
Finis, motivum perfectæ creaturæ:
Ab eodem deficere
hominis improvidi & inſani.
Menſuram Divorum ſi ex te capias?
erraſti;
Quibus namq; proficere
antea palmare ſtadium:
Deficere præſentibus
ſummum ſtudium,
negotium, & voluptas.
Irrationalis vitium ſimiæ eſt:
Omnes velle ſibi conformari;
Et quidquid
aut in Magnanimis ſummum!
aut in Virtuoſis celebre!
aut in ſummis illuſtre & eminens!
cognatis noxarum funalibus intumulare.
Fuſcis namq;
nonniſi fuligo & carbo objectum;
Æthiopi animo
non *Creta*, non *Albula*, non *Candia*

(Innocentiæ apello coloniam,) ſpecioſa.
Parce!
qui læderis?
Puncturam, & cæſuram
nunquàm perſentiſceres:
ni ſtylum acueres.
Nullam partem pectoris
dolori concederes:
Si alijs integrum virulentus buſo
non cæderes, non ſauciares.
Corpus Religionis Myſticum
dixiſti abſq; *Capite*:
Senſiſti ut acephalus.
Siniſtro mordicùs exulceras auſu?
veluti è *Dextera ſignatorum* *DEI*
proſcribendus.
Maxima DEO injuria! quæ in minimos,
ſummus deſpectus! qui in ſervos:
Impiorum ore exercetur.
Vitæ, & Gratiæ miracula
modicæ exigis fidei?
Cætera præter,
Sacris Patrum librata ſcrutinijs,

Id esto speciale:
Quod vindicem Numinis,
ab Authore scandali avertat pænam
& supplicium.
Si animus nocendi & desiderium?
Exagita Filios! Patrem ne feri!
Succende odia! probabis aurum;
Impete crebriùs! habebis lydium;
In quo tuæ virtutis pretium recolligeres.
Tranquilla misces tempora?
gloriæ momentum addis;
sicq; è vepribus rosas, è lolijs lilia legere fa-
Quos frequens carpendo depressisti. (cis:
Vesane erubesce furor!
Nihil ex alieno detraxisti invidus;
Quibus in altero tanto non restitueres,
Ast patientiæ, non tuo beneficio.
Tandem in te linguæ errorem plecte!
Et pectus in amorē, Caput in honorem,
religiosiùs flecte.
Humiliores myricas & violas,
Punitiva nec tondent, nec lædunt fulmina;
fastu turritas Cedros ad ima deprimunt.
Casu suo quisq; magìs dolet: Qui

Qui ſphæram modeſtiæ altis exceſſit cogita-
Garrulæ philomelæ ſupplicium, (tibus.
Rapacior Milvus;
Quæ toties latuiſſet ſecurior,
tacuiſſet quoties dicacior.
Meta amorum & odiorum CALASANTI:
dùm adhùc non genua, jam calamos
Prona flectit & devovet Eloquentia.
Dabit fructum in tempore:
dùm in laudibus indefeſſa,
in encomijs ſedula, in votis devota,
Pleroſq; ad cultum Mercurios informabit.
Gratiarum Accreſcens Ioſephe,
Hanc in animis creſcere impetra *Gratiā*:
Ut in meritis annos,
in annis merita conſummemus,
Augmentū Probitatis, Scientiæ, Eruditionis, ritè pro-
Si Te adſpirante faventiùs, (*baberis?*
Exacta omnium ſtudia in nobis perficiantur.
Magni Conſilij Angele:
Quia Æternæ Cuſtos & BajulusSapientiæ, nō difformis:
Perfectiſſimis mentem imbue conſilijs:
Ut nihil improvidi in vita & via attentemus.

Ad Majorem DEI Gloriam, Beatiſſimæ V. M. Honorem, Sanctorum Tutelarium perpetuam Venerationem.





stare karty katalogowe
od D. III. 4

Josephus Joannes à S. Stanislao
Scholarum Piarum

Latifundia
Oratoria

Varsaviae Typis Sacrae Regiae Majestatis
Scholarum Piarum
12°
1729
188 k.n.
a2 - a3 e - e2 A - A3 Ss - Ss3

opr. skórzana
okleinowa

Josephus Joannes à S. Stanislao
Scholarum Piarum

Latifundia
Oratoria

Varsaviae Typis Sacrae Regiae Majestatis
Scholarum Piarum
1729

120

188 s. n.

a2-a3 e-e2 A-A3 Ss-Ss3

Opr. Skórkowa

Okiewonyt